



NICOLAUS HEMMINGIUS
TRACTATUS
1591







Ikke trykt i Danmark, som Titelbladet angiver.
(Se: Lauritz Nielsen: Boghistoriske Studier. 1550–1600. S. 142)

3-138 DA BOX

8°



LN 919
ex. 3



Kay Høegs eks.

NICOLAI HEMMINGII

TRACTATVS DE GRATIA VNIVERSALI SEV SALVTARI OMNIBVS HOMInibus, cui adiiciuntur vicini loci,

Liberum Arbitrium

Pœnitentia

Iustificatio

Ὑπόμνησις de Obedientia Deo præstanda, opposita somnio perfectionis spiritus Anabaptistici.

Clemens:

Μόνῃ τῇ ἡμετέρᾳ σωτηρίᾳ θεὸς ἥδεται.

Sol radiis ornat, scriptis Hemmingius orbem:
Dici iure potest orbis vterque decus.



HAFFNIÆ

Apud Ioannem Alburgensem, B. R. D.

Cum gratia & priuilegio S. M.

M. D. LXXXXI.









NICOLAVS HEMMINGIVS

CANDIDO LECTORI S.



Visquis es, candide lector, qui has chartulas legere dignaberis, ſcito eas tibi conſecratas & dedicatas eſſe. Tu autem ſi aliquem fructum ex earum lectione perceperis, Deo, omnium bonorum fonti vberrimo, per Chriſtum gratias age. Ego certè Deum teſtem habeo & conſcientiam, quòd prodeſſe pio lectori horum locorum repetitione voluerim, & confido in domino me non omnino hac mea ſpe fruſtratum iri.

Te Deum æternum oro, vt Ecclesiam filii tui Domini nostri Iesu Christi, redemtoris nostri vnici, conserues, tuearis, defendas: eamque verbo tuo, & Spiritu, sanctáque disciplina regas: quò tandem triumphans tecum regnet in cælo, Amen. Vale pie lector in Domino, cui te commendatum volo. Roschildiæ 10. Augusti, Anno domini 1590.

TRACTA-





TRACTATVS
DE
Gratia DEI *vniuerſali.*



E Gratia DEI vniuerſali dicturis, video operæ pretium eſſe quædam admonere de præſcientia Dei,& de eius variis modis.inde enim facilior tranſitus erit ad doctrinam Gratiæ vniuerſalis: Deus propter Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuo Spiritu adſit mihi cogitanti atque ſcribenti, vt meus labor cedat in gloriam Dei, & in ſalutarem ædificationem Eccleſiæ Chriſti.

Vt memoria hominis eſt Notitia præteriti poſtquam factum eſt : ita præſcientia Dei eſt Notitia futuri antequam fiat.

Hæc præſcientia Dei ſimpliciter conſiderata, non eſt vlla futurorum euentuum cauſa, ſed Notitia nuda ſolummodo. Sicut enim tu (vtor ſimilitudine Auguſtini) memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt : ſic Deus ſua præſcientia non cogit facienda quæ futura ſunt, ſed ſimpliciter præſcit,quid ex quibus cauſis euenturum ſit, præſcit ab æterno antecedentia & conſequentia; præſcit cauſas rerum & effecta : præſcit agendi modum : præſcit multa, quæ odit & quæ puniet.

Vt ergo ſcire non eſt rem factam efficere,ſed eam tantum ex cauſis cognoſcere : ita præſcire non eſt futuram rem efficere , ſed eam per cauſas ſuas præcognoſcere.falſa eſt igitur hæc collectio.

Deus præſcit omnia futura.
Ergo, omnia neceſſario fient.

Non enim valet Argumentum à nuda Notitia ad Euentum, qui habet proprias causas. proinde nequaquam præscientia Dei causa est futurorum Euentuum, tametsi est vera & ἀπαράβατος. Quamuis enim voluntas nostra, quam Deus liberam creauit, liberè eligit quod placet, & auersatur quod disciplicet, nunquam tamen eliget aut auersabitur, nisi quod Deus præsciuit, etiamsi liberrimè potest cum eligere tum auersari alia, minimè à præscientia Dei impedita. præscientia igitur Dei nequaquam est causa futurorum, sed potius ea quæ futura sunt habent aliquam rationem causæ præscientiæ diuinæ. Quod nunc scribam, præsciuit Deus ab æterno, at si non scriberem Deus nequaquam præscisset me iam scripturum. ideo Damascenus ait: αἴτιον τῆς προγνώσεως τοῦ θεοῦ, τὸ οὕτως μέλλειν ἔσεσθαι. Non ergo ideo fit aliquid, quia præscitur à Deo, sed quia futurum est, præscitur. Deus cum vniuscuiuslibet voluntatem præuideat, hunc perperam, hunc recte acturum non ignorat. Sic præsciuit adulterium Dauidis. Non igitur quia Deus præsciuit adulterium Dauidis, Dauid adulterium commisit: sed quia Dauid adulterium commissurus erat, Deus præsciuit. Hæc præscientia Dei à prouidentia differt genere: Nam præscientia, Notitiæ; prouidentia, actioni subiicitur. Hæc ergo causa rerum, illa minimè. Atque hæc de nuda & simplici præscientia Dei sint dicta. iam modos quosdam præscientiæ Dei videamus, in quibus non nuda præscientia, sed vt voluntas, vel permissio accedit, consideretur.

PRIMVS MODVS.

DEVS quædam præscit & vult: quædam præscit & permittit. Nam cum nihil potest fieri, repugnante Deo; quicquid fit, vel volente Deo vel permittente fieri necesse est. ideo Augustinus in Enchiridio ait: Non fit aliquid, nisi omnipotens velit fieri, vel

vel ſinendo, vel ipſe faciendo. aliud ergo vult Deus, aliud permittit Deus: vult bonum, permittit malum, vtrumque præſcit, teſte eodem Auguſtino. nos de permiſſione primùm dicamus.

De permiſſione.

Permiſſio Dei, eſt efficacis voluntatis Dei remiſſio ſeu priuatio. permittit enim Deus quod non vult impedire, neque tamen nolens permittit, ſed non nolens, id eſt, remiſsè volens, & remiſsè nolens.

Sed cur permittit malum fieri, cum ſit ipſe bonus, imo ipſa bonitas, & malum ipſi diſpliceat? Hoc ideo facit, quia melius iudicat ex malis bona facere, quam nulla mala permittere. Nunquam (ait Auguſtinus) Deus mala permitteret, niſi poſſet de malis bona facere. Nec dubitandum eſt Deum facere benè, etiam permittendo fieri, quæcunque fiunt malè. non enim ſine iuſto iudicio facit. etſi autem quod Deus permittit, hoc non efficit: tamen quia illud ad finem congruum dirigit, dicitur propter illum finem feciſſe, quod permiſit. Sic enim Auguſtinus ait: Non fit aliquid, niſi omnipotens velit fieri, & hoc vel voluntate beneplaciti, qua omnia bona fiunt, vel voluntate ſigni, quæ eſt permiſſio mali, & non voluntas efficax, alioqui non puniret malum. Nullo enim pacto poteſt fieri, vt Deus puniat quod fecit, ſed punit, quod facimus, vt liberet quod ipſe fecit. Et Auguſtinus in enarratione pſalmi 110. Non vult Deus, inquit, vt pecces; ſed tamen ſi peccaueris, non putes hominem feciſſe, quod voluit, & Deo aliquid accidiſſe quod noluit: vt enim vult Deus, vt homo non peccet: ita vult peccanti parcere, vt reuertatur: ita vult poſtremo in peccatis perſeuerantem punire, vt iuſticiæ potentiam non euadat: ita quicquid elegeris, omnipotenti non deerit, vnde ſuam de te compleat voluntatem. Et alibi dicit. Semper fit voluntas Dei, vel à no-

bis, vel de nobis. Voluntas enim Dei relinquit homini liberam Electionem. Si eligit bona, Deus vult illi bona: si eligit mala; Deus vult illi iustam pœnam: ita quicquid elegeris, voluntas Dei fit, scilicet vel efficax, vel remissa.

Porro tametsi Deus permittit mala fieri, tamen hæc permissio pendet ex ordine prouidentiæ Diuinæ, qui sapientissimè cum mala, tum bona ad finem bonum dirigit. meminerimus proinde dicti Augustini: Quicquid, inquit, accidit præter voluntatem nostram, noueris non accidisse, nisi de voluntate Dei, de prouidentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius, etsi nos non intelligimus, quid quare fiat, demus hoc prouidentiæ ipsius, quod nihil fiat sine causa, & non blasphemabimus.

Definiri autem potest non fortè ineptè prouidentia Dei, hoc modo: Prouidentia Dei est cura & administratio, qua Deus vt omnia gubernat, & singula in suas fines dirigit: ita media ordinat, quibus ad finem perueniendum est. Sed de hac postea plura.

Genera permißionis Diuinæ.

Etsi plura sunt genera permissionis Diuinæ, quam ego aut sciam, aut recensere possim: tamen hic ea quæ occurrunt, annotabo.

1. *Permißio in opere creationis.*
2. *Permißio lapsus grauioris eorum, qui sunt extra Ecclesiam.*
3. *Permißio crucis & afflictionis Ecclesiæ.*
4. *Permißio oppugnationis à Diabolo.*
5. *Permißio lapsus sanctorum.*
6. *Permißio scandalorum variorum in Ecclesia.*

Primum

Primum Genus.

Primum Genus permissionis voco in opere Creationis, propterea quod eius occasio ipsa hominis creatio fuerit. Nam cū Deus ipsum hominem crearet ad imaginem suam, atq; illum principem reliquarum creaturarum constitueret, libertate voluntatis, qua poterat liberè eligere quæ sibi placebant, eum ornauit; quę sane res non minima felicitas hominis erat. Sed ecce quid fit? homo abutitur hac libertate, & seductus à Sathana à Deo defecit, idque liberrima sua voluntate, quod ideo permisit Deus, vt testaretur se modum agendi conseruare, quem indiderat suę creaturæ, cum illā crearet. Lapsus est proinde Adam permittente & non ordinante Deo, vt ipse caderet, sed ordinante pro sua sapientia ipsum lapsum Adæ in suam gloriam. Postquam autem Adam libera voluntate peccasset, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab eius stirpe descendimus. Quamdiu ergo portamus imaginem hominis terreni, vt Augustinus ait (qui vetus etiam homo dicitur) habemus necessitatem cōsuetudinis nostræ, vt non quod volumus, bonum faciamus. Est autem hæc necessitas consuetudinis voluntaria, nō coacta: voluntarius siquidē carnis amor, cum sit vitiatus & vitiosus, non admittit amorem virtutis & pietatis, sibi repugnantem. Hæc permissio Diuina, qua & Adam labi, & nos ab Adamo natos labi permittit Deus, seruit ipsius sapientiæ, & cedit nobis lapsis in maiorem gloriam, modò nos permittamus dextera Dei erigi, quod fit quando firma fide in Christum recumbimus.

Secundum Genus.

Secundum Genus permissionis est lapsus grauioris eorum, qui sunt extra Ecclesiam. de hoc genere permissionis loquitur Paulus Rom. 1. tradidit illos

Deus in deſideria cordis eorũ, in immũditiem. item, tradidit illos Deus in affectus ignominioſos. itẽ, tradidit illos Deus in reprobã mentem, vt faciant ea, quæ nõ decent. 2. Theſ. 2. eò quod dilectionẽ veritatis nõ receperunt, vt ſalui fierent, id eſt, eò quod veritatem noluerunt intelligere, vt ſaluarentur, mittit Deus illis efficacem errorem, vt credãt mendacio, vt iudicẽtur omnes, qui nõ crediderunt veritati, ſed placuerũt ſibi in iniquitate. atq; hæc eſt ἀντιμισθία τῆς πλάνης. Rom. 1.

Quod aũt permiſſio vocabulo tradendo ſignificetur, vel vnum teſtimoniũ ex Pſal. 81. ſumptum cõuicerit. verba Dei ſunt: Nõ audiuit populus meus vocẽ meam, & Iſrael nõ acquieuit mihi, ideo dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorũ, & ambulabãt in cõſiliis ſuis. Hæc verba prorſus cõueniunt cũ verbis Pauli dicẽtis: tradidit illos in deſideria cordis eorũ, id eſt, ſubtracta ſua manu, permiſit illos cupiditatib. ſuis. vide, quæſo, quã horrenda ſit hęc pœna. Deus homines ingratos & cõtumaces permittit ruere in ſcelera, iuxta deſideria cordis eorum. & profectò nulla ferè maiori pœna afficere poteſt Deus illos, qui ſuis monitis parere nolũt, quã ſi eos patiatur indulgere atq; obſequi cupiditatibus ſuis, & ſua cõſilia ſequi, quibus ſibiipſis tãdem peſtem & perniciem accerſunt. atq; adeo hoc fit tùm maximè, cum ſibi ſapere ac rebus ſuis optimè cõſulere videntur. admoneamur itaq; ſeriæ pœnitentiæ, & timoris Dei, ne cumulemus peccata quib. iram Dei in nos prouocemus. prudenter & moderatè agamus omnia, & finẽ nobis ob oculos ponamus ſemper.

Tertium Genus.

Tertium Genus permiſſionis diuinæ eſt crucis & afflictionis Eccleſiæ in hac vita, cuius rei cauſæ ſæpe explicantur in Eccleſia. Quare hoc loco ne omninò hoc Genus prætermiſiſſe videamur, tres ſolummodo eius cauſas annotabimus.

Prima

Prima eſt piorum conformitas cum filio Dei. vult enim Deus pios conformes fieri Imaginis filii ſui, vt Paulus docet Rom.8. Quos præſciuit, etiam eos prædeſtinauit conformes fieri Imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Hæc conformitas eſt crucis & gloriæ, illius quidẽ in hac vita, huius verò in futura.

Secũda eſt fructus, quẽ pii percipiũt in hac vita ex cruce. Nã crux, pios humiles, dociles, vigiles, ſupplices reddit. Humiles: humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet. Dociles, Eſa. 28. Vexatio dabit eis intellectũ, & Pſal. 119. Bonũ eſt mihi quod humiliatus ſum, vt diſcerẽ ſtatuta tua. Vigiles: vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Supplices: Inuoca me in die tribulationis. eruam te, & glorificabis me.

Tertia, exemplũ. Nã pii qui fortiter ferũt crucem, alios infirmiores animant, & inuitant ſuo exemplo ad imitationem, ſeruata regula Cyrilli: Nõ optãda pericula, ſed toleranda, quando vi aliena inferuntur.

Quartum Genus.

Quartum Genus eſt permiſſio lapſus Sanctorum. permittit enim Deus ſæpenumero ſuos ſanctos ſecurius viuentes in horrenda ſcelera ruere. Quomodo autem hoc fiat, pulchrè pingitur in Solis ſplẽdore, qui cum adeſt, omnia illuſtrat, cum remouetur, omnia tenebris implentur: ad eundem modum quando pii fiũt ſegniores & nimis ſecuri, Deus paulatim ſuæ gratiæ radios remouet. quod cũ fit, quid ſumus? tenebrę. Quare dictum Solomonis ſemper mente circumferamus: Beatus qui ſemper eſt pauidus. Exempla huius permiſſionis nõ pauca nobis præbet ſcriptura. Nonne Samſon fortiſſimus ſecurior effectus ruit in fornicationem? Nonne Dauid ſanctiſſimus ſegneſcens incidit in adulterium? Nonne ſapientiſſimus Solomon illecebris mulieribus eſt ſeductus?

Quare hoc Deus permittit? vt & ſuam miſericordiam declaret in eos qui redeunt, & ſuam iuſtitiam in eos qui non reſipiſcunt, exerceat. Primum itaque hoc permittit Deus fieri, vt puniat ingratitudinem noſtram. Deinde, vt gratiæ ſuæ præſtantia à nobis agnoſcatur. Tertio, vt ſciatur, quod quicquid nobis dat Deus, gratis dat. Quarto, vt agnita infirmitate noſtra ardentius precemur pro cõſeruatione & augmẽto doni cœleſtis. Nam habenti dabitur. atque ita, vt Baſilius ait pag. 500. Τὰ ἐλαττώματα τῶν εὐσεβῶν γίγνεται πολλάκις καὶ κατ᾽ οἰκονομίαν εἰς τὸ συμφέρον. adeò mirificè regit Dominus ſanctos ſuos, Pſal. 4.

Quintum Genus.

Quintum Genus permiſſionis Diuinæ, eſt oppugnatio piorum à Sathana. Hoc Genus etſi Quarto ſubiici poterat, vt ſpecies generi: illud tamen placuit ſeorſum tractare, vt diſtincta ſuauius percipiantur, & ad praxin in vita accommodentur melius. Diabolus confertur Leoni, confertur Draconi, confertur Angelo lucis. Nam vt Leo, impetum facit, vt Draco, inſidiatur, vt Angelus Dei apparet, dum ſimulat mella, & porrigit venenum. Quando nos ſecuri, quid nõ hic machinatur Diabolus? Quoniam autem non poteſt niſi per peccata noſtra dominari, omnia tentat, vt ſanctos Dei ſeruos ſeducat, & in peccatum pertrahat. id vt poſſit facere, inſidiatur doctrinæ, vt eam aboleat, vel corrumpat: inſidiatur moribus, vt eos vel hypocriſi maculet, vel contumacia fœdet: inſidiatur œconomiis, vt maritos & vxores diſcordia perdat: inſidiatur Eccleſiæ, vt eam ſectis, hæreſibus, ſchiſmatibus euertat: inſidiatur Politiis, vt iudicia & leges vel deleat, vel corrumpat Sophiſtica iuris & legum interpretatione. in his omnibus technis in Angelum lucis ſe transformat, vt putemus lucem eſſe tenebras, & tenebras lucem, quo ſecurius deuaſtet omnia, idq; ſub

ſpecie ſanctitatis. Quando putamus nos maxime ab ipſius inſidiis eſſe ſecuros, tum in primis eſt cauẽdus. Quapropter curandum eſt nobis omni ſtudio, ne vel mentem, vel cor, vel vitam occupet. Mentem peruerſa doctrina: cor, prauis affectibus: vitam malis moribus. Quocunque horum te proſtrauerit, vinceris, & in ipſius caſtra abduceris captiuus. Studeamus proinde mentem puritate doctrinæ cuſtodire; cor piis affectibus & fide in Chriſtũ munire; vitam caſtis moribus tueri, & omnia hæc ſimul conſeruare pia inuocatione & aſſidua lucta ſpiritus aduerſus carnem, freti hoc mandato, & promiſſione Chriſti: Confidite, ego vici mundum. item, Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. donec ergo fiduciam Chriſti obtinebimus, inferior erit Sathanas; ſed ſi fidei naufragium fecerimus, ſuperior. ſuggerere poteſt Satanas praua, ſed cogere non poteſt, vtvt ſęuiat ac fremat. Metuendum eſt nobis etiam à duobus armis Satanæ, quæ ſunt voluptas & timor, quibus ſemper graſſatur in genus humanum. O quam multos voluptate capit! ô quam multos timore frangit! Quare aduerſus voluptatem piis affectibus, aduerſus timorem fortitudine animi inuicta, nos munitos eſſe oportet. Quod fieri non poteſt ſine aſſiduis & ardentibus precibus.

Cur permittit Deus Dæmonibus tam variis modis oppugnare pios? Sanctus Maximus ad hanc quæſtionem hunc in modum reſpondet. Quinque cauſas eſſe affirmant, cur permittat Deus à Dæmonibus oppugnari pios: quarum primam hanc eſſe aiunt, vt dum oppugnamur, inſtar ſtrenuorum militum repugnantes in virtutis & vitiorum diſcrimen veniamus. Secundam verò, vt & bello & labore virtutem nobis paratam, eandem firmam & immotam habeamus. Si enim nihil eſſet in labore arduum, nihil eſſet in virtute pretioſum. Tertiam, vt proficientes in virtute nõ

alta ſapiamus,ſed diſcamus humilia ſapere. Quartam, vt tentati à vitio, illud perfecto odio perſequamur. Quintam, præ omnibus hanc potiſſimum afferunt, vt purgati affectibus nunquam propriæ infirmitatis & virtutis nobis ex alto auxiliantis, obliuiſcamur.

Porro cũ hoc tempus offert occaſionem, vt quæratur, an piis liceat petere reſponſa à Sagis, quæ verè miniſtræ Satanæ ſunt, de hac quæſtione quid ſit piis ſentiendum, breuiter dicam. Reſponſa Sagarum non aliud piis reputanda ſunt quam ſtercora Diaboli fœtidiſſima. Quotquot ergo Chriſtum Magiſtrum ſequuntur, ac Dominum agnoſcunt, abominari oportet, quicquid ab impuro Satana proficiſcitur. Nam nemo poteſt duobus Dominis, cum ſint ſibi contrarii, ſeruire. Quæ eſt, inquit Paulus, participatio luci cum tenebris? Quæ eſt concordia Chriſti cum Belial, hoc eſt Diabolo? aut quæ pars fideli cum infideli? Cum ergo omnes pii in baptiſmo Diabolo & eius operibus renunciauerint: ſatis conſtat, quod qui vel Magicis ſuperſtitionibus addicti ſunt, vel qui reſpõſa à Sagis petunt, renuncient Chriſto, cui inaugurati ſunt in baptiſmo, & rurſus ſe recipiant in caſtra Diaboli, cui antea in baptiſmo cum operibus ſuis renunciauerant.

Obiicitur. Sagæ ſæpe vera dicunt. Reſpondeo. Diſcant veritatem à Diabolo, qui eius diſcipuli eſſe cupiunt. Conceſſum quidem eſt Diabolo interdum vera dicere, vt mẽdacium ſuum rara veritate commendet, vtque per inſidias caſtra Chriſti inuadat. Sèd pius hoc ſciat, quod quando Diabolus vera dicat, ſub melle venena porrigat, ac tum maximè inſidietur homini, vt illum aſtutè à Deo abducat per obliquos ductus, quo illum capiat, & incautum opprimat. Quare etſi aliquando vera dicunt Sagę, Diaboli miniſtræ, tamen cui Chriſtianiſmus cordi eſt, non ſecus fugiat illarum reſponſa, quam ipſius Satanæ vocem, qua primos

mos

mos noſtros parentes ſeduxit, & euertit.

Cur ergo, inquies, permittit hoc Deus? Reſpondeat pro me Moſes, Vt tentet (inquit) vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis Deum, an non in toto corde & in tota anima veſtra. Permittit ergo Deus talia accidere, vt manifeſtum fiat in Eccleſia, quinam ſint verè pii, & conſtantes cuſtodes verbi Dei. Proinde ſciamus certum indicium defectionis à Deo eſſe, vel interrogare reſponſa à Sagis, vel earum præſtigiis moueri, vel earum minas metuere. Quamobrem hortor pios, vt vnum Deum timeant, illi ſoli adhæreant, in illius reſponſis acquieſcant, illique ſoli laudem veritatis tribuant. Quiduis igitur potius patiamur in facultatibus noſtris, & in corporibus, quam vt Diaboli mancipia cōſulamus, & ab eis remedia petamus.

Sextum Genus.

Sextum Genus permiſſionis Diuinæ eſt ſcandalorum variorum permiſſio in mundo. væ, inquit Chriſtus, mundo à ſcandalis: ſignificans nihil eſſe quod magis noceat, quam ſcandalorum magnitudo, multitudo & varietas. Quicquid enim eſt quo minus inoffenſo curſu pergamus in via Domini, nobis ſcandalum eſt, dum hoc facit, vt offendamus. Sed de ſcandalis aliâs.

SECVNDVS MODVS.

Deus quædam præſcit & vult definitè.
Deus quædam præſcit & vult indefinitè.

Hæc diſtinctio in primis eſt obſeruanda. Nam in ea vertitur cardo totius controuerſiæ de Gratia vniuerſali, de prędeſtinatione Electorum ad vitam æternam, de abiectione reproborum, qui contumaciter ſe opponunt Euangelio.

Quæ Deus præſcit & vult definitè, prorſus immutabilia ſunt, vt quæ ab ipſius voluntate efficaci & decreto dependent: vt Deus præſcit, & vult definitè reſurrectionem mortuorum: Deus præſcit & vult definitè iudicium viuorum & mortuorum: Deus præſcit & vult definitè, vt omnes credentes Euāgelio, & perſeuerantes vſque ad finem, ſaluentur: Deus præſcit & vult definitè, vt omnes contumaces vſque ad finem puniantur perpetuis pœnis.

Quæ Deus præſcit & vult indefinitè, mutabilia ſunt, vt quæ ſeruata certa conditione vult; & conditione non ſeruata, non vult. Bonus pater vult omnes ſuos liberos hæredes ſuorum bonorum fieri, ſed ſeruata conditione obedientiæ. Qui ergo obediunt, hęreditatem adeunt, & qui contumaces eſſe perſeuerant, hæreditate excluduntur.

Sed age rem exemplis illuſtremus. Deus non vult mortem peccatoris, Ezech. 33. Et Deus vult omnes homines ſaluos fieri, 1. Tim. 2. Hæ duæ propoſitiones intelligendæ ſunt de voluntate Dei indefinita. Nam ſi Deus definitè nollet mortem peccatoris, nemo moreretur: & ſi definitè vellet omnes ſaluos fieri, omnes ſaluarentur. Iam autem & multos mori, & multos non ſaluari manifeſtum eſt. Quapropter propoſitiones iſtæ: Deus non vult mortem peccatoris, & Deus vult omnes homines ſaluari, indefinitè accipiendæ ſunt. vult enim ſi ſeruatur conditio, & non vult conditione nō ſeruata. vt ergo vult peccatorem viuere definitè, ſi conuertatur à via ſua mala: ita vult peccatorem mori definitè, ſi non conuertatur. Ad eundem modum de ſimilibus locutionibus iudicandum eſt. atq; ita videmus, quod ſalus hominū omnino ſit conditionalis, iuxta decretum Dei: Qui crediderit, ſaluabitur: qui vero non crediderit, condemnabitur.

Quapropter cum ſic colligitur: Deus vult omnes homines

homines ſaluos fieri, Ergo omnes homines ſaluantur: item, Deus non vult mortem peccatoris, Ergo nemo damnatur. Neganda eſt conſequentia. Nam ex voluntate Dei indefinita non valet argumentum ad definitum effectum. Antecedens ergo intelligendum, ſeruata conditione. ideo Propheta addit conditionem ſi conuertatur, & Paulus ſimiliter requirit conditionem, videlicet venire in cognitionem veritatis. Eſt autem eadem conditio, fides, cognitio veritatis, conuerſio.

Non ſum neſcius quomodo aduerſarii hoc Argumentum eludant. Dicunt ſignum OMNES in dicto Pauli, non ad ſingulos homines, ſed ad ſingulos ſtatus hominum referendum eſſe, & non ſine contumelia derident eos, qui ſecus ſentiunt. Sic enim ratiocinantur. Cum dixiſſet Paulus ſe velle orationes fieri pro omnibus hominibus, ſubiungit pro Regibus & omnibus qui in eminentia conſtituti ſunt. Ergo, inquiunt, Signum OMNES ad ſingulos ſtatus hominum, & non ad ſingulos homines referendum eſt. Hæc concluſio & cum verbis Pauli, & cum ſententia pugnat. Quare ſic potius concluditur, Paulus vult fieri orationes pro omnibus hominibus: Ergo etiam pro Regibus. & adiecit pro Regibus, propterea quod tum temporis plerique omnes Reges, & qui erant in aliqua emiuentia conſtituti, perſequebantur Apoſtolos, & conabantur curſum Euangelii impedire. Dubitabant ergo pii an etiam pro Regibus, & ſuis perſecutoribus orarent, quorum dubitationem corrigit Apoſtolus hac additione, pro Regibus, &c. præterea Paulus illorum ſententiam manifeſte euertit, cum hanc ſuæ aſſeuerationis rationem ſubiungit: Vnus enim Deus, vnus eſt Mediator Dei & hominum, Homo Ieſus Chriſtus qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus. Hic tres ordines Paulus conſtituit. Summum, Medium, Infimum. In ſummo gradu Deū

collocat,in medio gradu Chriſtum mediatorem cum pretio redemptionis, qui omnes ad ſe vocat, Matth. 11.venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego vos reficiam. item, Non veni vocare iuſtos ſed peccatores ad pœnitentiam.item, Veni ſaluare,quod perierat. perierat autem totum genus humanum Ergo venit vt illud ſaluaret. Et Paulus ait: Certus eſt ſermo & omni approbatione dignus, quod Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Et Petrus ait: Deus longanimis eſt nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. 1. Iohan.2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum,& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum ſed pro totius mundi,ſcilicet peccatis. Cum his congruit vniuerſa ſcriptura.in infimo Gradu, non ſtatus hominum,ſed omnes homines collocat Paulus, reſpiciens ad mandatum Chriſti Marci vltimo: Profecti in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.Nemo,credo,tam impudens eſſe poteſt, vt per omnem creaturam, omnes ſtatus hominum intelligat potius, quam ſingulos homines. Quiſquis ergo homo natus es, ſcias te in eorum numero eſſe, pro quibus Mediator intercedit, & ſoluit ἀντίλυτρον, hoc eſt pretium redemptionis. Quapropter omnino ſtatuo eos,qui vniuerſalem gratiam negant, quo ad voluntatem Dei attinet, abolere magnam partem Euangelii,& multis deſperationis occaſionem (vtut pingant ſuum dogma de Stoico fato) præbere. ſed de dicto Pauli infrà etiam dicemus.

Cæterum vt hanc clariſſimam ſententiam quam euidentiſſimè confirmauimus, euertant, obiiciunt nobis Dei εὐδοκίαν ſeu beneplacitum, Dei electionem, Dei propoſitum, Dei prædeſtinationem, quibus addunt

dunt

dunt figulum cum luto suo, ex quo alia vasa ignominiæ & alia honoris fingit, prout lubet, luto minimè renitente. Ad hæc addunt exempla quædam ex scripturis, de quibus sigillatim agemus, vt infirmis conscientiis consulamus.

Quid nos ad hæc? ista omnia patrocinantur nostræ sententiæ, tantum abest, vt eam euertant: quod vt intelligatur melius, ἀνάλυσιν faciamus dicti Pauli, cuius iam sæpe meminimus, videlicet, Deus vult omnes homines saluos fieri: ac videamus, an aliquod eorum, quæ enumerrant isti, excludat. Deus vult, inquit, omnes homines saluari, & in cognitionem veritatis venire. Hic Paulus ostendit nobis voluntatem Dei Indefinitam, ostendit finem, salutem omnium hominum, ostendit medium ad finem, cognitionem veritatis. Ergo vult & finem, id est salutem omnium hominum, & vult medium ad finem, videlicet veram cognitionem veritatis, id est, fidem. Nam quicquid agit Deus, seriò agit, & quicquid vult, seriò vult. Quod autem obiiciunt, Euangelium esse quibusdam odorem mortis ad mortem, & quibusdam odorem vitæ ad vitam, prorsus cum nostra sententia congruit. Deus vult obedientes Euangelio saluari, inobedientes autem condemnari. Discernendum est ergo inter finem proprium rei & accessorium. Quod igitur Paulus Euangelium aliis dicit esse in odorem mortis, non ad finem proprium Euangelii pertinet, sed ad accessorium, qui ex hominũ culpa accedit, non ex consilio Dei volentis omnes homines saluos fieri. quare qui recusant media diuinitus ordinata sapientissima Dei prouidentia (qua Deus vt omnia administrat & singula in suum finem dirigit: ita media ordinat, quibus ad finem perueniendum est, & sine quibus à fine aberratur) sua culpa pereunt.

Sed ad verba Pauli redeamus. Deus vult omnes

homines σωθῆναι, id eſt, ſaluari & ad cognitionem veritatis venire.

Quid, quæſo, illorum quæ enumerant aduerſarii hîc Paulus excludit? an non in voluntate eſt εὐδοκία? an non propoſitum? an non Electio & prædeſtinatio? nónne hæc omnia in voluntatte Dei includuntur? Certè his diuerſis vocabulis intelligitur eiuſdem voluntatis Dei conſtantia & immutabilitas. Cum ergo voluntatem nominat, qua vult omnes homines ſaluare, ſignificat & quod ſit ipſius propoſitum, ſaluare omnes, & elegerit eos, & prædeſtinauerit eos vitæ æternæ, ſeruata conditione. Habes itaque hic voluntatem Dei, in qua continentur εὐδοκία, propoſitum, Electio & prædeſtinatio: habes ſubiectum, omnes homines: habes finem, ſalutem omnium. verum quia hæc voluntas, qua vult Deus omnes homines ſaluos fieri, eſt, vt diximus, Indefinita: ideo Paulus medium addit, videlicet, conditionem, quæ eſt cognitio veritatis, in qua fides includitur.

Iam ergo ſi Deus vult omnes ſaluari, iuxta promiſſionem gratiæ vniuerſalis, elegit etiam eos. Sed quãdo elegit? ante mundi conſtitutionem, ſicut eos pręſciuit. Quomodo elegit? in Chriſto, teſte Paulo Eph. 1. Elegit enim nos in eo, in quo nos dilexit. Sed nos non fuimus ante mundi conſtitutionem, quomodo ergo nos elegit? Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam quæ ſunt, Rom. 4. vt qui præſciat omnia antequam fiant, & cui omnia futura ſunt præſentia, multò magis quam ea quæ oculis videmus, nobis præſentia ſunt. etſi ergo hic efficimur electi, quando credimus, tamen quia hoc ab æterno præuidit futurum Deus, dicitur nos elegiſſe ante conſtitutionem mundi.

Cur autem alii electi, alii reprobi ante mundi conſtitutionem dicantur, hæc vnica cauſa eſt. Deus omnium futurorum præſcius, proſpexit euenta, quæ

ſuas

ſuas proprias cauſas habent, ex quo fit, quod in ſua præſcientia definitum habeat, qualis vniuſcuiuſque animus futurus ſit, qualis fides, qualis peruerſio. vnde ille Electus, hic reprobus ſit futurus. Non repulit Deus populum ſuum quem præſciuit, Rom. 11. hoc eſt elegit populum, quem præſciuit. præſciuit autem, non qui ex operibus, ſed qui ex gratia ſalutem erant quæſituri. Nam vt Deus concluſit omnes homines ſub peccatum, ita omnium vult miſereri, teſte Paulo, Rom. 11. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, vt omnium miſereatur. an non hîc vtraque aſſeueratio æquè eſt vniuerſalis, illa de reatu, hæc de gratia? Gratia ergo verè vniuerſalis eſt. Quare & præſciuit eos omnes qui gratiam erant amplexuri. an non Petrus clarè docet Electionem fieri ſecundum præſcientiam Dei patris. 1. Pet. 1. ibi enim diſperſos Iudæos Electos ſecundum præſcientiam Dei patris pronunciat. Quid aliud vult Paulus Epheſ. 1? cum dicit, Elegit nos in ipſo, item prædeſtinauit nos per Ieſum Chriſtum, quam Deum ſecundum præſcientiam ſuam elegiſſe & prædeſtinaſſe ad vitam credentes in Chriſtum? Et Auguſtinus ait: propterea prædeſtinat Deus, quia quale futurum ſit, præſcit. ideo & Apoſtolus: Quos præſciuit & prædeſtinauit. idem alibi: Antequam faceret nos, præſciuit nos, & in ipſa nos præſcientia, cum nondum feciſſet, elegit. Eſt ergo præſcientia Dei, Regula Electionis & prædeſtinationis. Hoc ſimiliter confirmatur præceptis, promiſſionibus, & comminationibus diuinis. præcipit Deus omnibus vt obediant & credant: promittit omnibus vt accipiant & poſſideant. Comminatur omnibus ne negligant, & pereant. Deinde non eſt προσωποληψία apud Deum. Rom. 2. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Rom. 10. Nam Deus eſt omnibus æqualis, æqualiter ſe habentibus: omne enim bonum æqualem habet naturam. Quare iuſticia Dei definitur κοινωνία μετ' ἰσό-

πο̃.huc accedit incarnatio filii Dei. Hic enim ideo omnibus hominibus naturæ societate iunctus est, vt frater omnibus factus, ex communi omnium nostrûm patre Adam natus, sit saluator omnium, qui eum fide amplectuntur.

Sed quid hîc aduersarii Gratiæ vniuersalis? nobis obiiciunt verba Pauli 1. Cor. 1. videte vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus, vt sapientes pudefaciat, & ea quæ sunt in mundo infirma, elegit Deus, vt pudefaciat ea quę sunt robusta, & ea quę sunt in mundo ignobilia, & spreta, elegit Deus: & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt aboleret, & non glorietur vlla caro coram Deo. Respondeo, Paulus his verbis manifestè duo docet, quæ nostram sententiam confirmant, vnum quod abusus donorum Dei, videlicet fiducia propriæ sapientiæ, potentiæ, nobilitatis (vnde nascitur gloriatio carnis) sunt causæ abiectionis multorum, & non consilium Dei nolentis mortem peccatoris. Alterum, quod humiles spiritu, nihil tribuentes suæ sapientiæ, potentiæ, claritati, sed vni Deo fide adhærentes in Christo, sint Electi, vt in solo Deo glorientur, & non in carne. Quapropter nequaquam ad Parcarum tabulas, cum de Electione agitur, respicere oportet, sed ad qualitatem animorum eorum, qui fiduciam salutis omnem in Christum collocant. Hos enim Deus dicitur elegisse ante fundamenta mundi, idque propter euentum quem ipse prospexit. Electio proinde regitur præscientia, qua Deus ab initio præsciuit, cùm fideles, tum incredulos futuros.

Sed instant aduersarii, & obiiciunt nobis dictum ex 13. capite Actorum, in quo proram & puppim suæ causæ ponunt.

Crediderunt (ait Lucas) Quotquot erant ordinati ad vitam æternam.

Ergo

Ergo,inquiunt, qui non crediderunt,non erant ordinati ad vitam æternam.

Primum ad dictum Lucæ reſpondeo. vetus dictum eſt; Circumſtantia ſcripturæ illuminat dicta. περίστασις ergo loci, vnde hoc dictum deſumptum eſt, ſatis oſtendit, quis ſit eius ſenſus. Opponitur enim hoc dictum, Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, errori Iudæorum qui inuidentes Gentibus annunciationem ſalutis per Paulum,exiſtimabant Meſſiam & ipſius beneficia ad ſe ſolos vt ordinatos ad vitam æternam pertinere,& non ad Gentes. Hunc errorem refutat Lucas adducto teſtimonio prophetico, de vocatione Gentium & vniuerſali Gratia. Poſui, (inquit) te in lucem gentium,vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. His verbis propheta ſignificat Deum ordinaſſe Gentes ad ſalutem æternam,modo admiſerinr lucem Gentium, hoc eſt, crediderint in Chriſtum,qui eſt lux mundi. Huc addit exemplum Antiochenorum, qui ex gentibus erant. Senſus ergo huius dicti eſt: Quotquot crediderunt,ordinati erant ad vitam æternam.Gentes crediderunt,vt videre eſt in Antiochenis.Ergo Gentes ordinatæ erant ad vitam æternam. Ordinationis proinde vocabulo vtitur Lucas, vt ordinem Diuinum de vocatione Gentium opponat errori Iudæorum,qui putabant ad Gentes non pertinere Meſſiam & eius beneficia. de hoc ordine loquitur etiam Paulus Rom. 16. vbi affirmat myſterium Euangelii ſecundum ordinationem æterni Dei patefactum eſſe , vt omnes gentes obediant fidei. Eſt ergo ordinatio & mandatum æterni Dei, vt omnes gentes credant Euangelio.proinde quicunque non credunt, ſua contumacia ordinationem Dei violant,& mandatum contemnunt.Breuiter,Lucas aliud non vult, quam Paulus,cum ait: Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idem eſt Dominus omnium,diues in omnes qui in-

uocant eum: omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quod ergo Lucas de ſingulis generum concludit apposite ad quæſtionem de qua agitur, hoc aduerſarii non recte ad ſingula ſpecierum torquent, argumento conuerſionis per contrapoſitionem ſcilicet propoſitionis de ſingulis ſpecierũ, de qua hic non agitur. Quomodo enim fieri poterat, vt Lucas contra morem Christi, contra exemplum Prophetarum, contra conſuetudinem Apoſtolorum & omnium miniſtrorum Dei tanquam reprobos condemnaret omnes, qui ad vnam atque alteram concionem Pauli & Barnabæ non conuertebantur? an non alii citius, alii tardius, alii iuuenes, alii ſenes conuertuntur, tametſi ſæpiſſime ante conuerſionem audiuerant Euangelium?

Iam ad illationem veniam. Ergo (inquiunt) Qui non ordinati erant ad vitam æternam, non crediderunt. Concedo hanc illationem recte intellectam. Ordinati enim vel non ordinati dicuntur propter euentum, qui habet ſuam propriam cauſam. Qui enim credunt dicuntur ordinati ad vitam æternam, propterea quod credant: fide enim Christum apprehendunt donatorem vitæ æternæ. At qui non credunt, dicuntur non ordinati ad vitam æternam, propterea quod non credant, nam carent Mediatore: promiſſio enim gratiæ vt eſt vniuerſalis, ita & conditionalis. Sic enim Dominus ait: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Qui vero non crediderit, condemnabitur. idem Dominus Lucæ 13. ait: Niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis. Rom. 14. Scriptum eſt, Noli eſca tua illum perdere, pro quo mortuus eſt Christus. item, Noli propter eſcam tuam deſtruere opus Dei. poteſt ergo credens, pro quo mortuus eſt Christus, perire, ſi offenſus ſcandalo fidem abiicit: deſtruitur enim in eo opus Dei. Contra vero credens ſaluatur, modo fidem retineat: Nam opus Dei in eo manet

manet ſaluum. idem ergo homo credens & perire & ſaluari poteſt. Perire quidem, ſi fidem abiicit. Saluari vero, ſi fidem vſque ad finem vitæ retinet. Nam hæc eſt ordinatio, hoc eſt decretum Dei, quod quicunque crediderit & perſeuerauerit in fide vſque ad finem vitæ, ſaluus ſit futurus: Qui vero non crediderit, vel a fide ante mortem defecerit, ſit periturus.

Cæterum quiſnam ſit & dicatur electus, & quare, ex ſcripturis apertius diſcamus. Primum hoc tenendum eſt, quod electus non ſit participium, vt quidam falſo putant, ſed nomen habitus ſeu formæ hærentis in anima hominis credentis. Græcè enim dicitur non ἐκλελεγμένος, ſed ἐκλεκτός.

Matth. 20. Confertur regnum cœlorum patrifamilias, conducenti operarios in vineam ſuam, ſed facto veſpere quidam operariorum in Domini bona voluntate acquieſcunt grati, & agnoſcũt beneficium patrisfamilias gratuitum, nec ſe meritos quicquã fatentur, ſed ſola liberalitate patrisfamilias accepiſſe mercedem: alii ponderant merita ſua, nec ſunt contenti ſua ſorte, ſed murmurant aduerſus patremfamilias. Huic parabolæ Dominus ſubiungit: Quia multi ſunt vocati: Pauci vero electi, ἐκλεκτοί, ſignificans operarios fideles & ſubiicientes ſe voluntati patrisfamilias, electos eſſe. murmuratores autem, & merita ſua iactantes, reprobos. Hinc concluditur, quod qui ex fide ſeruit Deo humili corde, ſit electus. Qui vero ex dignitate laboris & merito mercedem petit, ſit reprobus.

Matth. 22. Confertur regnum cœlorum Regi facienti nuptias filio ſuo, qui cum ingreſſus videret diſcumbentes in domo nuptiali, vidit quendam non veſtitum in veſte nuptiali, cui ait: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Huic etiam parabolæ ſubiũgit Dominus: Multi ſunt vocati: Pauci vero electi, ἐκλεκτοί: ſignificans electos eſſe qui ha-

bent vestem nuptialem, ac reprobos, qui ea veste carent. Iam autem vestis nuptialis alia esse non potest, quam iustitia Christi, quam credentes fide induimus, & sanctificatio quam regenerati per Spiritum sanctum induimus, hoc est, noua obedientia. Ergo electus Christo dicitur, quisquis sincerè Euangelio obtemperat, hoc est, qui credit in Christum, & ex fide quantum fieri potest in hac carnis infirmitate, bene operatur, & in fide & obedientia perseuerat vsque ad finem. Nam si quis defecerit rursus à fide, desinit esse electus, & reprobus efficitur, donec redeat per pœnitentiam. Adam & Eua erant electi, & tamen reuera amiserunt Spiritum sanctum, & facti sunt rei æternæ iræ, sub qua mansissent nisi resipuissent. Dauid erat electus, tamen reuera amisit Spiritum sanctum, & factus est reus æternæ iræ, donec rursus resipuit. Paulus 2. Tim. 2. ait: omnia sustineo propter electos, vt & illi salutem consequãtur, significans haud dubiè posse electos frangi scãdalis & seduci. Quare & alibi Paulus ait de credentibus, id est electis: Qui stat, videat ne cadat. & Dominus dicit: qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit. Et Rom. 11. Si permanseris in bonitate, alioqui excideris. Non igitur quærenda est nostri electio in tabulis Parcarum, sed in conscientia cuiusque. qui cum credit, & ex fide inchoat nouam obedientiam; sicut iustus, ita verè electus est. Eadem est enim causa electionis & iustificationis. Cum Iohannes dicit filios Dei fieri, qui credunt: significat credentes esse electos, cum dubium non sit filios Dei (id est, membra Christi) esse electos. Elegit enim nos in Christo, Ephes. 1. id est, elegit credentes in Christum.

Quemadmodum ergo non, quod filii Dei fuerimus, credimus (eramus enim filii iræ antequam credidimus) sed quia credimus, filii Dei noscimur: si filii Dei per fidem in Christum, igitur & electi in Christo.

ſto. itaque neque quia præſciti ſumus & electi, credimus, ſed quia credimus, præſciti & electi ad vitā cenſemur.

Habemus quinam ſunt & dicuntur electi, nempe credentes. iam videamus cur credentes electi dicantur. Nam hinc & gratiæ Dei & officii ſui & dignitatis admonentur fideles. Primum ergo credentes dicuntur electi, quia quos Deus ante mundi conſtitutionē præſciuit credituros, eos ex gratia in Chriſto elegit ad beatam vitam & æternam ſalutem, liberatos à morte & æterna damnatione. Deinde electi dicuntur, propterea quod ſegregati iam ſunt à prophano mundo: quod erepti ſunt de ſocietate Diabolorum: quod iuncti ſunt Deo ſpiritu fidei, à quo per peccatum ſeiuncti erant: quod facti ſunt ſocii non ſolum omnium timētium Deum ex fide in hac vita, verumetiam omnium piarum animarum, & caſtiſſimorum Angelorum in cœlo, qui mirum in modum lætantur de ſocietate noſtri cum illis, adeò vt gaudeant in cœlo ſuper vno peccatore reſipiſcente & adiungente ſe eorum ſocietati, vt ſimul Deum glorificent in omnem æternitatem. Hęc electorum ſocietas ſancta Eccleſia nominata eſt, quæ 1. Ioh. 1. κοινωνία ſanctorum, ſicut & in ſymbolo Apoſtolorum, definitur. Hinc moneamur, vt gratis mētibus gratiam Dei in Chriſto agnoſcamus, & prædicemus, vt vitam inſtituamus filiis Dei dignam, vt caueamus ne per inſidias Diabolorum, mundi, & propriæ carnis, tanta felicitate excidamus ingrati.

Iam duas inter ſe quæſtiones conferamus, quarum prior eſt, an credimus, quia ſumus electi. Poſterior, an ideo electi ſumus, quia credimus.

Prioris affirmatio, videlicet electi ſumus, ergo credimus, mittit nos ad Zenonem, Stoicos, & eorum filios. Poſterioris affirmatio, videlicet, credimus, ergo electi ſumus, mittit nos ad Moſen & Prophetas, ad Chriſtum & Apoſtolos, hoc eſt, ad verbum patefa-

ctum in Propheticis & Apostolicis monumētis. Nam de voluntate Dei solummodo ex verbo iudicandum est.

Est ne ergo vera vtraque collectio: Electi sumus, ergo credimus: & credimus, ergo electi sumus? Hîc admonendi sumus de discrimine necessitatis consequentis & consequentiæ. Necessitas consequentis est necessitas rei, quę res sequitur ex causa antecedente necessaria. Quando ergo propositio aliqua habet causam antecedentem necessariam, est & ipsa necessaria necessitate consequentis, vt hæc propositio: Cras sol orietur, est necessaria necessitate consequentis, quia habet causam necessariam, ordinem naturalem diuinitus sancitum. Necessitas consequentiæ tantum est necessitas non rei, sed eius quod rem positam sequitur Dialectica necessitate, vt, ego scribo: Ergo hoc Deus ab æterno præuidit. Quando ergo propositio adiuncta conditione fit necessaria, quæ sine conditione est contingens, necessitate consequentię necessaria est. Si ergo credo, Deus pręsciuit me crediturum, eodem modo posito consequente, ponitur res: Si Deus præuidit me crediturum, ego credam, necessitas consequentiæ est. Hæc proinde propositio, ego credo, est necessaria non ex præscientia, tanquam antecedente causa (præscientia enim Dei non est causa euentuum) sed tanquam ex necessitate facti ad factū. Iam respondeo; vtraque cōclusio vera est & necessaria. Prior quidem, electi sumus, ergo credimus, necessitate consequentiæ. Posterior vero, credimus, ergo electi sumus, necessitate consequentis. Nā Christus, quem fide apprehendimus est electionis nostræ ad vitam causa propria, necessaria antecedens. Quia ergo in vno Christo tota nostræ salutis substātia quærenda est, in eodem etiam quærenda est nostræ electionis certitudo. Baptista, vt est Ioh. 3. clarè hāc sententiam confirmat, discernens inter electos & reprobos,

bos, his verbis: Qui credit in filium, habet vitam ęternam (hæc tantum electorum eſt) qui autem non credit in filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum (hoc ſolummodo reproborum eſt) electi igitur ſunt credentes: nam vt hi ſoli in via ſunt, ita vitam æternam obtinebunt. at qui non credunt, reprobi ſunt, quia extra viam ſunt, quare manēt ſub ira Dei æternis ſupplicijs adiudicati. Hoc ipſum vult Dominus, cum ait: ego ſum via & veritas, & vita; vnde Auguſtinus ſub perſona Chriſti ait: vis non errare? ego ſum via: vis non falli? ego ſum veritas: vis non mori? ego ſum vita. teneas itaque mi frater hanc tuæ ſalutis anchoram, & nullis tempeſtatibus à portu ſalutis abripieris, nihil habens commune cum cerebroſis quibuſdam, qui prætextu arcanæ prædeſtinationis, vel hanc vnicam electionis, & ſalutis viam negligunt, vel ſecurius viuūt ſpectro fidei ſe oblectantes, vel deſperationis gurgite abſorbētur particularem gratiam ad ſe non pertinentem ſomniantes.

Iam autem cum quis electus eſt, etiam prædeſtinatus eſſe ſignificatur, id eſt, ante fundamenta mundi præordinatus ſeu præfinitus. ad quid? ad afflictiones & gloriam. Sic enim Paulus Rom, 8. docet, cum ait: Nam quos præſciuit, etiam prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Deus ſiquidem (vocans ea quæ nō ſunt, tanquam quæ ſunt) ordinauit ſuos ad ea omnia, quæ futura erant in Chriſto, vt ei & in cruce, & in gloria ſimiles fierent: ita tamen vt ipſe principem locum obtineat inter fratres, tam in perferenda cruce, quam in gloria, hoc eſt, in afflictionum fructu capiendo.

Quod contra vniuerſalē Gratiam adfertur ex Paulo de figulo, videlicet an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam, noſtram ſenten tiam manifeſtè cōfirmat. vt autem hanc collationem

rectè intelligamus, notetur regula Chrysostomi. Nō oportet similitudines ita accipere, vt in omnibus partibus quæ conferuntur, fiat comparatio: sed tantum spectandum est, cuius gratia adductæ sunt. Et Augustinus ait: Similitudines in quocunque loco sunt, circumstantia sui exponuntur. ex circumstantiis itaque loci apud Paulum patet, quod hic instituatur solummodo comparatio potentiæ Dei ad reprimendū suos hostes, & infirmitatis hominum ad resistēdum Deo. Nec vltra hæc collatio extendenda est, sicut Ieremiæ cap. 18. vnde hæc similitudo desumpta est, patet, vbi ostendit Deus in manu sua esse contemptores verbi sui posse perdere, eosdem autem resipiscentes posse saluare tam facile, atque figulus potest fingere & refingere sua vasa ex eodem luto desumpta.

Quod autem addit Paulus de vasis ignominiæ & vasis honoris, de vasis iræ & misericordiæ, etiam ex Ieremia intelligitur. Sic enim subiungit Propheta: Sin autem conuertitur Gens illa à malo suo, contra quod locutus sum, pœnitebit me mali, quod cogitaueram facere ei. & mox: Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitebit & me illius boni quo constitui illi benefacere. Hinc palam fit quis sit vas iræ, quis ignominiæ, nempe impius. Sed de hoc apud Ezechielem dicit Dominus: Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam. vita viuet, & nō morietur: Item, Impietas impii non nocebit ei, in quacunque hora conuersus fuerit ab impietate sua. Item, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur à via sua mala, & viuat. 2. Tim. 2. In magna domo sunt vasa, quędam quidem in honorem, quędā vero in cōtumeliam. Si quis ergo emūdauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatū. emundatio hæc non fit nisi per sanguinem Christi quo asperguntūr verè resipiscentes. Quoties igitur peccator, quātumuis enormis resipiscit, ex vase contumeliæ & iræ fit vas honoris &

ris & misericordiæ, sicut contra qui est vas honoris & misericordiæ, cum volens & sciens peccato indulget, vastat conscientiam, & amissa fide fit vas iræ & cõtumeliæ. Ezech. 33. Iustus non poterit viuere in quacunque die peccauerit. Ergo fit vas iræ & contumeliæ.

Obiicitur: Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Peristasis loci hanc obiectionem soluit. Agit enim Paulus contra eos, qui ex sua dignitate & meritis operum quærebant salutem. Nam est illatio generis ab exemplo singulari, ac si diceret: Quemadmodum collatio iuris primogeniti pendet non ex voluntate Isaach, qui carnali affectu prætulit Esau Iacobo fratri; non ex cursu Esau, qui merito suæ venationis voluit flectere patrem, vt sibi ius primogeniti cõferret, sed pendet ex proposito Dei qui Iacob quidem elegerat, vt esset primogenitus, Esau vero repulerat, non quidem à salute, sed à iure primogeniti in vna familia patris Isaach. Sententia ergo verborum Pauli est; Non est volentis & currentis, scilicet secundum carnem; nam caro volens propriam iustitiā stabilire, nititur dignitate propria & meritis operū; sed est volentis & currentis secundum fidem promissionis. hæc agnoscens propriam indignitatem & meritum mortis, nititur misericordia Dei gratuita & merito mediatoris Iesu Christi, cuius obedientia sibi imputata iustificatur. Annon Paulus requirit voluntatem & cursum, cum ait Gal. 5. Currebatis bene (id est, secundum fidem promissionis. malè siquidem vult & malè currit, qui secundum dignitatem & merita propria vult & currit, vt Esau) quis vos impediuit veritati obedire? Heb. 12. Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. & 1. Cor. 9. Sic currite vt comprehendatis. an nõ de seipso ait Paulus: Cursum consummaui, fidem seruaui?

Huius rei admonebat Iudæos circumcisio, quæ

fuit Sacramentum non ſolum amputationis, gloriationis,& fiduciæ carnis, verumetiam fiduciæ, miſericordiæ & gloriationis in Chriſto, cuius ſanguine effundendo abluebantur à peccatis: cuius iuſtitia iuſtificabantur: cuius ſpiritu ſanctificabantur: cuius poteſtate expectabant exuſcitationem à mortuis ad vitam beatam & æternam. Hunc ergo Chriſtum promiſſum non voluntate carnis, non curſu, ſed ſola fide (quæ ex prædicatione promiſſi ſeminis, in qua Spiritus ſanctus erat efficax, concipiebatur) amplectebantur & poſſidebant, vt ipſorum eſſet propitiator, iuſtificator, ſanctificator, redemptor. Heb. 11. Eadem prorſus eſt ratio noſtri baptiſmi, qui & ipſe Sacramētum eſt noſtrę vnionis cum Chriſto, ablutionis à peccatis per ſanguinem Chriſti, iuſtificationis per obedientiam, ſanctificationis per ſpiritum, & redemptionis per potentiam, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Rom. 6. 1. Cor. 1.

Credentes itaque nullum ſuum meritum agnoſcunt, niſi mortis & damnationis, ſed de ſolius Chriſti merito gloriantes, &, vt noua creatura in Chriſto nouam meditantur vitam. Sic enim ſcriptum eſt Eph. 2. Gratia ſaluati eſtis, (ſcilicet liberati à peccato & miſeria, & donati iuſticia & gloria) per fidem (qua apprehenditur iuſticiæ & ſalutis Author) & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt. Non ex operibus, ne quis glorietur: ipſius enim creatura ſumus, creati in Chriſto ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in iis ambulemus. atque hoc eſt quod Paulus Rom. 9. ex 33. capite Exodi vrget aduerſus tumidos Iudæos qui de prærogatiua carnis dignitate & meritis gloriabantur. miſerebor, ait Dominus, cui miſertus fuero, & miſerabor quē miſeratus fuero, quaſi dicat: Hæc eſt bonitas illa Dei (id eſt Gratia & miſericordia) quæ Deus cōmendat Moſi, videlicet quod ſine meritis hominum & abſque omni dignitatis reſpectu gratioſus ſit, & miſerea-

misereatur quorum vult. vult autem gratiosus esse, & misereri iuxta suum verbum pauperis & contriti corde, ac trementis ad sermones suos. Esaiæ 66. ideo Christus patris interpres ait Matth. 11. venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Hoc illustribus exemplis declarat Paulus Rom. 9. Cum nondum (inquit) nati fuissent (scilicet Esau & Iacob) aut aliquid boni egissent aut mali, (vt secundum Electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante, dictum est Rebeccæ, Maior seruiet Minori. ab hoc exemplo sumptum est dictum Iohannis, Iohan. 1. Quotquot receperunt eum dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Quare & nos hoc dicto illustremus exemplum à Paulo adductum. Non vtique iuuit Esau, quod natus fuerat ex sanguinibus, id est, seminibus Isaach & Rebeccæ, sanctorum parentum, vt consequeretur benedictionem: nec profuit illi voluntas carnis patris sui Isaach, qua Esau prætulit, vt primogenitum & sibi vtiliorem propter venationem, præterito & quasi spreto Iacobo: nec voluntas viri, hoc est, Esau præclara facta quibus confidebat, & multis modis superabat fratrem suum, valuerunt ei benedictionem conciliare, vt præferretur fratri Iacobo. Quare hoc? vt secundum Electionem propositum Dei maneret.

Porro exemplum Iacob & Esau hoc modo accommodabitur. Promissio singularis facta Iacobo, præterito Esau, typus fuit promissionis vniuersalis factæ omnibus credentibus, preteritis incredulis. Sicut ergo Iacob consecutus est ius primogeniti ex gratia propter promissionem & electionem, præterito Esau qui promissionem non habuit: ita omnes credentes accipiunt ius filiorum Dei propter promissionem

& electionem vniuersalem (dedit potestatem [ait Iohannes] filios Dei fieri omnes qui credunt in nomen eius, non qui ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt) præteritis incredulis. atque hoc pacto propositum Dei manet secundum Electionem, non solum in singulari, verumetiam in vniuersali promissione. Eadem est ratio exempli Isaach & Ismaelis.

Quod autem addit Paulus ex Malachia, Iacob dilexi; Esau vero odio habui, hunc habet sensum. Iacob & Esau typi fuerunt duorum populorum, videlicet Israelitarum qui à Iacob, & Idumæorum qui ab Esau propagati sunt. illos dilexit, id est, elegit Dominus in suum peculiarem populum, ex quo nasceretur Christus, quod beneficium Malachias exprobrat ingratis posteris Iacob. Hos odio habuit, id est, neglexit & præteriit, vt non isto pacto haberentur populus Dei electus & peculiaris: non quod non ex vtrisque multi salutem consequerentnr, sed & constaret ex quibus maioribus promissus Messias nasceretur. neque hinc aliud concludi potest, quam quod vt dona Dei sint gratuita, & non pendeant ex hominum dignitate aut meritis, sed ex sola misericordia erga omnes, qui promissionis verbum fide amplexi: ita ingratitudo Iudæorum fuerit causa reiectionis eorum.

Instant: Rom. 9. scriptum est. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluabuntur, hoc est, Etsi infiniti fuerint Iudæi, tamen pauci ex illis saluabuntur. Respondeo. Hæc prædictio prophetæ, non causa sed indicatio est abiectionis Iudæorum, quæ abiectio suam propriam causam habet, videlicet contumaciam Iudæorum aduersus Christum, quemadmodum ipse Paulus apertissimè docet, cum subiungit, propter quid? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. impegerunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in

in Zion lapidem offenſionis & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum non pudefiet. Horum verborum ſenſus eſt, quoniam plerique Iudæi Chriſtum contempſerunt (in quem quiſquis crediderit, ſiue Iudæus ſiue Gentilis fuerit, non fruſtrabitur ſua ſpe) abiecti ſunt iuſto Dei iudicio.

Sed fortius adhuc impugnant noſtram ſententiam de vniuerſali Gratia. Deus, inquiunt, facit homines peccare, ergo vult eorum mortem, quę iuſta peccati pœna eſt. Iam ſi facit Deus homines peccare, vnde in mortem incurrunt, non poſſunt dicta prophetæ, Nolo mortem peccatoris; & Pauli, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, vniuerſaliter intelligi. Reſpondeo, & nego antecedens huius argumenti. clara eſt vox pſalmi, quam vt immotum principium omnes pios amplecti oportet, videlicet, Non Deus volens iniquitatem, tu es. Deinde diſtinximus inter ea, quæ Deus vult definitè, quæ non poſſunt aliter fieri, & ea quæ vult indefinitè, quæ vult ſeruata conditione, & mediis ad finem ordinatis, & non vult, ſi conditio non ſeruetur.

Verum aduerſarii antecedens probare contendunt teſtimoniis ſcripturæ. Ezechielis 14. ſcriptum eſt, & propheta cum ſeductus fuerit, & locutus fuerit verbum (falſum) ego Iehoua ſeduxi prophetam illum: & extendam manum meam ſuper eum, deleboque eum de medio populi mei Iſrael. Reſpondeo. Certum eſt Deum non punire quod fecit: certum eſt etiam Deum non velle iniquitatem. Cum ergo huius prophetę iniquitatem punit Deus, non poteſt fieri, vt auctor ſit iniquitatis ipſius. Senſus ergo prophetę eſt: Ego ſeduxi permittendo, vt pro cupiditatis ſuæ meritis vaticinaretur, & declarando pœna ipſi illata, impoſtorem eum fuiſſe.

Præterea obiiciunt, quod narratur de Pharaone, Exod. 9. Deus, inquiunt, indurauit cor Pharaonis. Er-

go non ſolum voluit Deus, ſed impulit illum vt peccaret. Reſpondeo. In Exodo ſcribitur vtrumque, quod & Deus indurauerit cor Pharaonis; & quod Pharao indurauerit cor ſuum. Ergo neceſſe eſt, vt ſit diuerſus modus indurationis in Deo & in Pharaone. Explicanda eſt itaque hæc diuerſitas, ita vt iuſticia quidem Deo, iniquitas vero Pharaoni tribuatur. Quamobrem non eſt putandum quod Deus indurauerit Pharaonem effectiué, ſed permiſſiuè ſolummodo. Quo pacto, quæſo, fieri poteſt, vt is quenquam induraret efficaciter, qui omnium vult ſalutem? an non hoc eſſet contraria velle & facere? quo nihil eſt abſurdius. Quare cum Deus vult omnes homines ſaluos fieri, nequaquam exiſtimandum eſt, quod aliquem violenter deteriorem reddat. Etſi autem indurationis occaſio benignitas Dei ſæpe exiſtit: vt blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos: eius tamen vera & effectrix cauſa in homine eſt abuſus lenitatis Dei, qua vindicta differtur. nam cum lenitate Dei homines inuitentur ad reſipiſcentiam, multi ea ad ſecurius peccandum abutãtur. Sic enim ſcriptum eſt. Rom. 2. An diuitias benignitatis, tolerantiæ, & lenitatis Dei contemnis, ignorans ꝙ lenitas Dei te ad reſipiſcentiã inuitet? ſecundum autem duritiam tuam & non reſipiſcens cor, theſaurizas tibi iram in diem iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei. Quid hac demonſtratione euidentius? Deinde quod effectiuè Deus non indurauerit cor Pharaonis, ex eo manifeſtum eſt, quod Deus neque mortem peccatoris velit, neque cauſam mortis, quę eſt iniquitas. Permiſſiuè igitur (quia mala permittit fieri in ſuam gloriam) Pharaonem durauiſſe putandus eſt, dum eum contumaciter & præfractè ſibi reſiſtere, voluntatem ſuam contemnere, ac deſiderio cordis ſui obſequi permittit. idque, vt Baſilius ait, Longanimitate pœnæque dilatione eius malitiam intendens, vt ad extremum vſque finem, nequi-

tia eius aucta, diuinum aduerſus eum iudicium iuſtum appareret. Pharao proinde volens cor ſuum indurauit, alioqui nec ipſius culpa eſſet vlla, nec pœna iuſta, qua induratus punitus eſt. Euſebius ait, non violentia compellentis, ſed clementia relaxantis, indurationis Pharaonis occaſio fuit. Nequaquam enim auſteritas Dei indurat cor malorum, ſed bonitas, lenitas, indulgentia. Siquidem mali dum illis parcitur, fiunt deteriores: quia in ſeruo contemptum nutrit impunitas. Eodem modo multos hoc die indurat Dominus, vt manifeſtè apparet in omnibus hominum ſtatibus. Quare nobis magis vigilandum & orandum eſt, ne nos Deus noſtris deſideriis permittat, ſed ſua nos gratia ſemper in timore ſui nominis conſeruet. Huc pertinet exhortatio Pauli. Heb. 3. adhortamini vos ipſos per ſingulos dies, vt non obduretur quis fallacia peccati. item, Nolite obdurare corda veſtra. vt ergo lenitas Dei ſolummodo eſt occaſio; ita αἰτία peccati eſt vera cauſa indurationis impiorũ, qui ſua ſponte ſe indurant, ſeducti à propriis affectibus.

Sed cur Deus hoc permittit? Cur non impedit cum ſit omnipotens? Hoc tribuendum eſt prouidentiæ ipſius. Nequaquam enim Deus hoc permitteret, ſed impediret potius, ſi malis operibus hominum benè vti non poſſet, vt ſuæ prouidentiæ ſeruiant in gloriam ſuam. vt enim bonis operibus Dei nos ſæpe malè vtimur: ita ille malis operibus noſtris ſemper benè vtitur. Quocunque ergo nos vertimus, cum noſtra bona opera tum mala prouidentiæ Dei ſeruiunt. Tenenda eſt itaque Regula: Deus omnia opera noſtra ordinat in ſuã gloriam, bona quidem vt fiant, mala vero cũ facta ſunt. Nequaquã enim ordinat mala vt fiant, etſi præſciat, ſed facta dirigit ſapienter in ſuum finem, qui eſt, vt ſeruiant gloriæ ſuæ, & ſaluti hominum: ita fit ſemper voluntas Dei, ſiue benè ſiue malè facimus.

Prouerb. 16. Omnia operatus est Dominus propter semetipsum, etiam impium ad diem malum. Respondeo. Operatus est, non ad impietatem, vt ex dictis patet, sed ad pœnam impii referendum est. Nam punire impios ad Dei gloriam refertur, vt pœna Pharaonis Deus glorificatur.

Dauid prædixit Iudam proditurum Dominum ac Magistrum suum, & Christus prædixit Iudæos Christum interfecturos. Ergo aliter fieri non poterat: Quare Deus & Iudæ proditoris, & Iudæorum interficientium Christum peccati author fuit. Respondeo; Prædictio prophetica non est vlla causa euentus, sed indicatio tantùm. Quapropter nec Iudas Christum prodidit, nec Iudæi Christum interfecerunt, quia vtrumq; erat prædictum à prophetis & à Christo: sed ideo prædictum fuit à prophetis & à Christo, quia Iudas erat Christum proditurus, & Iudæi erant Christum interfecturi. Nec mirum si quorum malitiam præuidit, Deus illorum facinora prædixit, quibus vsus est tanquam instrumentis ad salutis nostræ mysterium perficiendum. Quia ergo Deus præuidit euentum, qui causam habuit malitiam Iudæ & Iudæorum, prophetæ ipsius spiritu afflati, hoc prædixerunt. Augustinus ait: Non ideo hoc fecit Christus, qa propheta prædixit, sed ideo propheta prædixit, quia hoc erat Christus facturus. Sic de multis aliis prædictionibus iudicandum est. Cum ergo dicitur, Euentus predictionis propheticæ est necessarius: Respondeo, est necessarius quidem, sed necessitate consequentiæ, id est facti. Omnia enim dum fiunt, necessaria sunt. Deus enim dum præuidit malitiam & contumaciam Iudæ & Iudæorum eam tanquam tum fieret, præuidit. Nam omnia Deus in suo æterno, ac si præsentia essent, videt.

Nabuchodonosor cum sua culpa malus esset, & spiraret cædes & latrocinia, & exercitum aduersus

Syros educeret, Deus ipsius malitia vsus est in gloriā suam, atque illum impulit, vt Iudæos inuaderet, vt isto pacto puniret populum suum à se deficiētem ad Idola. Sic Deus tyrannorum malitiam sæpe cogit gloriæ suæ, & sapienti prouidentiæ seruire, etsi ipsi tyranni hæc minimè cogitant aut cupiunt: quare Deus etiam illos punit, vt transgressores suæ legis.

Multi cum hodiè vident sursum ac deorsum ferri omnia & plena esse confusionibus, incipiunt dubitare de prouidentia Dei. Sic enim apud se ratiocinantur: Si Deus rerum humanarum curam haberet, nequaquam permitteret omnes hominum status tantis malis inuolui. imò hoc ipsum prouidentiæ diuinæ opus est, isto modo grassantia peccata in humano genere punire. Deus aliquando Magistratu, si quis in se auarus est & tyrannicus, vtitur in suam gloriā, quando videlicet eius malitia & tyrannide tanquam instrumentis vtitur, quibus castigat subditorum petulantiam, quod si non faceret, nemo pius tranquillè viueret. videmus quam sit misera plebecula, quam attenta vsuris & iniustis lucris captandis, quam sit prona in omne scelerum genus. Quare Magistratus etiam impius ad hos aliquo modo cohercendos excitatur diuinitus, vt aliqua saltem externa disciplina conseruetur propter Ecclesiam. & profectò essent subditi multo petulantiores, nisi asperiori hoc freno cohercerentur. atque ita verum est dictum: Sæpè malos mali bonos faciunt. An non hîc tyrannica sæuitia superiorum in subditos, seruit sapienti prouidentiæ Dei? verum hîc temperamentum obseruetur, quo Deus ita temperat administrationem mundi. vt semper aliquos pios & sanctos gubernatores admisceat malis, in piorum consolationem & tutelam, ne prorsus præteriti à Deo esse videantur. Quod sanè magnum prouidentiæ opus est, quod si non agnoscimus grati, admodum stupidos nos esse necesse est.

Porro qui sentiunt Deum ideo voluisse miseriam hominum, vt ostenderet suam misericordiam, & ideo ordinasse peccatum, vt declararet suam potentiam, in crasso errore versantur, & de Deo sceleratissimè cogitant. Nam cum Deus sit bonus & iustus, imò ipsa bonitas & iusticia, nec miseriæ humanæ causa est, nec vult peccatum. Hic proinde tenendum est, quod supra dixi, Deus non ordinat malum, vt fiat, sed postquam factum est, illud ordinat in bonum finem, quod est sapientis ipsius prouidētiæ opus. Deus iustus & bonus & liber, condidit hominem ad suam imaginem, hoc est iustum, bonum & liberum: sed postquā libertate sua abusus est homo, desiit esse bonus & iustus, & factus est seruus. Nam cùm liberè peccasset, bonitatem & iusticiam amisit, & incidit in seruitutem, hoc est, miseriam, iustam peccati pœnam. Hic opus erat Dei misericordia, & iusticia, vt ab ista miseria liberaretur homo. Non ergo Deus causa fuit peccati hominis, cuius iusta pœna est miseria, sed homo ipse sibi causa suæ miseriæ fuit. Homo bonus non vult aliquem miserum, vt exhibeat ei misericordiam. Iudex bonus non vult aliquem peccare, vt illum puniat. Sed homo bonus misero, quem vellet esse felicem, præstat misericordiam: & iudex bonus, iniusto, quem vellet esse iustum, infert pœnam iustam. Sic Deus homini misero facto sua culpa, præstat misericordiam. & iniusto sua voluntate effecto, infert pœnam iustam. Augustinus nostram sententiam confirmat; cum ait: Qui vt faciat misericordiam, optat esse miseros, crudelem habet misericordiam: quomodo si Medicus, vt exerceret artem suam, optaret multos esse ægrotos, crudelis esset medicina.

Sed obiiciunt rursus nobis dictum Pauli, Rom. 9. Scriptura dicit Pharaoni, in hoc ipsum excitaui te, vt ostenderem in te potentiam meam. Respondeo. Deus excitauit Pharaonē, hoc est, Deus fecit Pharaonem

nem

nem regem. an non hoc magnum beneficium Dei erga Pharaonem? additur, vt ostenderem in te potentiam meam. Hic VT particula, euentum, qui habuit causam contumaciam Pharaonis aduersus DEVM, & non finem declarat. inuenit enim Deus Pharaonem crudelem sui populi hostem, cui pergenti in sua contumacia, Deus pœnam minatur. Nam quia Pharao insurrexit contra Deum sua voluntate & cursu, Dei manu prostratus in mari rubro, periit. neque enim impedire manum Dei potuit ipsius pessima voluntas & cursus, quo se illi opposuit. Huic deinde facto duos fines apponit Apostolus, vnum, vt ostendat potentiam Dei punientis in reprobos; alterum, vt prædicetur nomen Dei in vniuersa terra, videlicet, quod sit vltor scelerum eorum, qui aduersus se sunt contumaces, & misericors in eos, qui obediunt voci suæ. Non ergo Deus fecit Pharaonem contumacem, sed contumacem sua voluntate factum, potenti manu repressit, ac puniuit, omnibus Tyrannis in admonitionem. absit proinde à piis mētibus, putare Deum alicuius peccati authorem esse. Detestanda est opinio (ait Augustinus) quæ credit Deum cuiusquam malæ actionis aut voluntatis esse authorem. Et Fulgentius ait: Deus non est vltor eorum, quorum est author.

Abutuntur etiam ad euertendam gratiam vniuersalem dicto Christi Ioh. 17. Non pro mundo oro. respondeo: Christus orat pro iis, pro quibus se offert hostiam. offert autem se hostiam pro toto mundo, Ioh. 1. Agnus Dei tollens peccatum mundi. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mūdum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 1. Ioh. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Cur ergo hic Dominus ait: non pro mūdo oro? Dominus hic loquitur de ea parte mundi, cu-

ius princeps iam iudicatus eſt, id eſt, de conciliabulo Iudæorum auerſantium doctrinam Chriſti, accuſantium & crucifigentium Chriſtum, atq; eius victimam pro ludibrio habentium. pro his ergo qui erant iam ipſo facto propter contumaciam ſuam à Deo condemnati, non orat Dominus, ſed eos cum ſuo principe Diabolo pro condemnatis habet: exciderāt enim gratia oblata omnibus, propter ſuam contumaciam & blaſphemiam in Spiritum ſanctum, Mar. 3.

Quoniam autem ſunt plura dicta Pauli in Epiſtola ad Romanos ſcripta (cuius argumentum eſt, peccatum arguere, veram iuſtificandi rationem docere, ſanctificationis neceſſitatem cum ſuis effectibus indicare. Breuiter, pœnitentiæ partes declarare) ex quibus aduerſarii ſophiſticè extruunt concluſiunculas aduerſantes noſtræ ſententiæ de Gratia vniuerſali, quam defendimus, opponimus eis clariora dicta Apoſtoli, quibus illuſtrantur quæ obſcurius dicta videntur, ſecuti regulam Tertulliani, Secundum plura pauciora ſunt intelligenda: & ne vnus ſermo alia multa ſubuertat, ſecundum omnia potius, quam aduerſus omnia intelligendus erit.

Cap. 1. Paulus finem ſui Apoſtolatus commendans Romanis, ait: Accepimus gratiam & Apoſtolatum in obedientiam fidei in omnibus gentibus, hoc eſt, vt omnes gentes obediant fidei, ſeu credant Euangelio. in quem finem? vt ſaluentur; finis ſiquidem fidei eſt ſalus credentium.

Idem Apoſtolus finem patefacti Euangelii indicat, Rom. 16. cum ait: Quod (ſcilicet myſterium) patefactum eſt per ſcripturas Prophetarum ſecundum ἐπιταγὴν, id eſt, ordinationem æterni Dei, in obediētiam fidei in omnibus gentibus, hoc eſt, Euangelium patefactum eſt ordinante Deo, vt omnes gentes obediant fidei, id eſt, credant, quo ſaluentur: ita finis patefacti Euangelii & Apoſtolatus Pauli vnus & idē eſt.

Eodem

Eodem pertinet definitio Euangelii, Rom. 1. Euangelium eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti cum Iudæo, tum Gentili.

Rom. 2. Gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum. Quicunq; enim, &c.

Rom. 3. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt. Non enim eſt diſtinctio; omnes enim peccauerunt.

Roman. 3. An Iudæorum Deus tantum? nonne & Gentium? certè & Gentium; quoniam vnus Deus eſt, qui iuſtificabit circumciſionem (id eſt, Iudæos) ex fide; & præputium (id eſt Gentes) per fidem.

Rom. 5. Sicut per vnius delictum (iudicium venit) in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam (gratia venit) in omnes homines, in iuſtificationem vitæ.

Roman. 5. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia, vt ſicut regnauit peccatum per mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum.

Rom. 10. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non pudefiet; Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci. Nam idē Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum: omnis enim quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Libet hęc Pauli verba altius introſpicere. Nam cōtinent ſummam Epiſtolæ ad Rom. adeoq; totius ſcripturæ, & planiſſimè concludunt doctrinam Eccleſiarum noſtrarum de vniuerſali Gratia.

Sunt autem quinque ſpectanda in his tribus verſibus. 1. Propoſitio vniuerſalis. 2. Ratio propoſitionis. 3. Rationis redditio. 4. Applicatio. 5. Comprobatio ſiue Concluſio.

Propoſitio vniuerſalis eſt: OMNIS qui credit in

eum, non pudefiet, id eſt, nullus credens in eum fruſtrabitur ſalute, quam fide expectat.

Ratio propoſitionis ab æqualitate Dei erga omnes. Eſt enim æqualis omnibus. Hæc ratio euertit diſtinctionem quorundam, qui fingunt duplicem vniuerſalitatẽ, vt clara dicta de vniuerſali gratia eludant. Sed falſo. Nam Paulus diſertè ait: *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci*, id eſt, Gentilis. quibus verbis exæquat omnes homines coram Deo. Nam ſiue naturam, ſiue merita, ſiue dignitatem ſpectes, nulla eſt hominum quoad ſalutem attinet, differentia coram Deo.

Redditio rationis. confirmat enim ſublatam diſtinctionem hominum. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, hoc eſt, vt Deus omnes homines creauit, & omnibus dominatur, atque ideo æqualis omnibus exiſtit: ita diues eſt in omnes, hoc eſt, quoniam miſericordia Dei eſt immenſa, ſufficit omnibus eam expetẽtibus, abſq; omni diſtinctione nationum & perſonarum. Sic quoque in Pſal. 145. dicitur: Bonus eſt Iehoua Le-cal, Græcè, σύμπασι, id eſt, vniuerſis, quaſi diceret, omnibus, nemine excepto.

Applicatio, qui inuocant eum, ſcilicet ex fide, ſiquidem ſine fide nemo verè inuocat. Nam qui Chriſtum ex fide inuocant, omnes & ſoli participes ſunt miſericordiæ in Chriſto promiſſę, reiectis incredulis, idque tantum ob ſuam contumaciam, non ex cõſilio Dei creantis.

Comprobatio ſiue Concluſio. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini ſaluabitur, nullo reſpectu perſonarum habito. hic propriè effert, quod in propoſitione metonymicè dixit: Nam qui ſaluabitur, nõ pudefiet; propterea quod accipiet, quod ſperauit.

Hæc Pauli dicta cum apertè Gratiam vniuerſalem fide accipiendam prædicant, non poteſt fieri, vt quæ contra nos adducuntur ex hac epiſtola, cum his manifeſtis dictis, quæ adduximus, pugnent.

Attamen

Attamen quia hostes vniuersalis gratiæ nobis ex hac Epistola duo capita potissimum, octauum & nonum obiiciunt, paucis quid cõtineant, indicabo: quo constet, quod non rectè aduersus vniuersalem Gratiam ista capita obiiciantur.

In octauo capite à versu 18. vsque ad finem capitis, erigit Apostolus pios, qui cruce premebãtur propter confessionem fidei. ad hanc vnicam propositionem confirmandam multa congerit suasoria argumenta: inter quæ sunt sex illæ actiones Dei, quæ in salutis nostræ mysterio concurrunt, videlicet, præscientia, electio, prædestinatio, vocatio, iustificatio, glorificatio: idque in hunc finem, vt fideles hæc Dei ingentia beneficia cogitantes, non succumbant cruci, sed forti & inuicto animo eam ferant, promissam liberationem in Christo expectantes. nec vltra hunc scopum verba Apostoli rectè extenduntur.

In nono capite quæstio de adoptione seu de electione hominum in filios Dei agitur. Nam cum magna pars Iudæorum contenderet hanc adoptionem ad solos Israëlitas pertinere, & non ad alios, Paulus ad quæstionem respondens, concedit quidem verum esse, quod dicunt: nempe adoptionem ad solos Israëlitas pertinere, sed distinguit inter veros Israëlitas, & eos, qui non sunt verè Israëlitæ coram Deo: quorum hi carnis, illi promissionis filii dicuntur. Ad hos autem, tanquam veros Israëlitas, & non ad illos adoptionem pertinere affirmat. Sic enim ait:

Non omnes qui sunt ex Israel sunt Israelitæ, neque qui sunt semen Abrahæ omnes filii: Sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non qui filii carnis, ii sunt filii Dei, sed qui sunt filii promissionis, reputantur in semen.

Perspicua definitio est verorum Israëlitarum, videlicet quod filii promissionis, id est, qui habent pro-

missionem, eique credunt, sunt filii Abrahæ & veri Israelitæ. Non ergo propagatio ex carne, sed imitatio fidei Abrahæ, facit veros filios Abrahæ, adeoque veros Israëlitas, ex quibuscunque & qualibuscunq; parentibus, siue Iudæis siue Gentibus orti sunt. Ad cuius asseuerationis confirmationem pertinent omnia, quæ sequuntur vsque ad finem vndecimi capitis, nec aliò sunt torquenda, quam ad propositæ distinctionis confirmationem. Primum itaque Apostolus in medium producit duos filios Abrahæ, Ismaëlem & Isaachum, quorum ille ex carne tantum Abrahæ erat sine promissione; hic autem nō solum ex carne erat, sed etiam habuit promissionem Dei: atque ita non Ismaël, sed Isaach verum semen Abrahæ fuit. Deinde proponit duos filios Isaach, videlicet Esau & Iacob, qui cum in vtero matris adhuc essent, neque fecissent aliquid boni aut mali, Iacob accepit promissionem iuris primogeniti, & non Esau, quod ideo factum est, vt sciamus adoptionem non ex prærogatiua carnis, non ex dignitate personarum, nō ex meritis operum, sed ex mera misericordia Dei pendere. atque ita secundum electionem Dei propositum manet, quod nec prærogatiua carnis, nec dignitate personarū, nec meritis operum mutabitur vnquam.

Exempla proposita in hunc modum resolui possunt.

Primum Exemplum.

Isaac reputatur verū semen Abrahæ, & non Ismaël, ex eodem tamen patre natus.

Isaac est natus secundum promissionem, & non Ismael: Ergo nati secundum promissionem sunt verum semen Abrahæ, non autem qui sine promissione nati sunt.

Maior probatur. Isaach enim habuit promissionem,

nem, vt filius & hæres Abrahæ esset. Ismaël autem hanc promissionem non habuit: quare nec filius habitus est, nec hæres Abrahæ fuit.

Secundum Exemplum.

Iacob accepit ius primogeniti in familia patris sui Isaac, vt verum semen. Esau autem non accepit.

Iacob & Esau nati sunt ex iisdem sanctis parentibus Isaac & Rebecca. Ergo quidam nati ex sanctis parentibus accipiunt ius primogeniti: quidam autem non.

Maior probatur, quia Iacob habuit promissionem gratuitam de iure primogeniti, quam Esau non habuit.

Ex his exemplis colligitur propositio, scilicet, quod non filii carnis, sed filii promissionis reputantur verum semen Abrahæ, & veri Israëlitæ.

Porro hæc exempla veteris testamenti sunt typi & figuræ rerum, quę geruntur in Nouo Testamento, de quorum accommodatione ad populum Noui Testamenti supra dictum est.

Quid ad hæc hypocritæ? Hinc offensi hypocritæ, id est, puluis & cinis obiiciunt.

Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud Deum?

Sensus est: Si Deus nec prærogatiua carnis, nec dignitate personarum, nec meritis operum flectitur, vt Ismaël & Esau, & eorum similes, adoptet & eligat in filios, videtur iniustus esse. Sed quid Paulus respondet?

ABSIT.

Hoc est, nequaquam propterea Deus iniustus est iudicandus, quod non respiciat ad prærogatiuam carnis, dignitatem personarum & merita operum, quia nec illa merentur aliquid, vt quæ immunda sunt, nec habent promissionem.

Mosi enim dicit: miserebor cuiuscunque misereor, & miserabor, quemcunque misereor.

Hæc ratio negatæ consecutionis obiectionis hypocritarum, ipsissima vox Euangelii est. Nam est promissio misericordiæ requirens fidem. Huius autem promissionis sensus est, non partim ex debito, partim ex gratia adopto aliquem, sed misereor cuius misereor, id est, ex mera misericordia adopto quē adopto. Hæc ergo Dei misericordia, vt excludit omnem prærogatiuam carnis, omnem dignitatem personarum, & omnia merita operum: ita fidem postulat promissionis, qua credentes adoptantur, hoc est, nascuntur filii Dei. atque hoc est quod dicitur Ioh. 1. Quotquot receperunt illum, (λόγον) dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus (id est, ex prærogatiua carnis) neque ex voluntate carnis (id est, ex dignitate personarum) neque ex voluntate viri, (id est, ex meritis operum) sed ex Deo nati sunt (scilicet per fidem.) Hinc Paulus infert vniuersalem regulam,

Non est igitur volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Hoc est, adoptio non est volentis neque currentis, scilicet secundum carnem, sed est volentis & currentis secundum promissionem. Nam vt nititur prærogatiua carnis, dignitate personarum, & meritis operum: ita fides (istis exclusis, tanquam rebus nihili) sola misericordia Dei nititur, qui ex dilectione mera dedit filium expiatorem peccati, & donatorem iustitiæ, vt omnis qui credit in illum, eius iustitia iustus effectus, sit acceptus Deo, vt filius & heres vitæ æternę.

Dicit enim Scriptura Pharaoni: ad hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam,

meam, & vt annuncietur nomen meum in tota terra.

Vt ſupra oſtendit in exemplis Iſmael & Eſau, non ex prærogatiua carnis, non ex dignitate perſonarum, non ex meritis operum, ſed ex mera miſericordia Dei pendere adoptionem: ita hic in Pharaonis exemplo oſtendit nõ eſſe humanarum virium ſententiam Dei mutare. Nam cum Pharao populum Dei conaretur captiuum detinere, Deus ipſum in mari rubro proſtrauit, vt iſto facto probaret ſuam potentiam, quo conſtaret toti mundo, neminem poſſe Deo reſiſtere, quin poſſit facere, quicquid velit. vult enim ſuperbis reſiſtere, & humilibus dare gratiam.

Itaque cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

Huius concluſionis ex vtroque teſtimonio Moſis illatæ ſenſus eſt, Deus ſicut ex mera miſericordia recipit quos vult, hoc eſt credentes & obedientes voci ſuæ: ita iuſto iudicio eos qui poſt multas admonitiones & plagas contumaces eſſe perſeuerant, reiicit, eoſque ſinit ſuis deſideriis obſequi & indurari, donec tandem iuſto iudicio Deo pereant.

Dices ergo mihi quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?

Hæc obiectio ſuperbiſſimi hypocritæ eſt, agnoſcentis quidem potentiam Dei, ſed improbantis iudicium, videlicet quod prærogatiuam carnis, dignitatem perſonarum, & merita operum cum de ſalute agitur nihili faciat, ſed tanquam ſordes abiiciat; contra vero eos ſolos approbet & adoptet, qui gratuita ſua miſericordia nituntur: putat enim hypocrita Deum principum mundanorum more debere agere, qui prædia conferunt, partim ob merita præce-

dentia, partim ex gratia. sed fallitur. Nam Deus sola gratuita misericordia sine meritis nostris credentes beat. Hanc obiectionem Apostolus primum obiurgatione excipit, cui rationem addit, deinde diluit.

Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo?

Hæc obiurgatio est, qua Paulus temeritatem hypocritæ excipit. quasi diceret: Tu homo cum sis puluis & cinis, stultissimè facis, quod audeas te Maiestati Dei opponere, à quo es quod es, & sine quo nihil es. pudeat ergo te tuæ temeritatis & stulti iudicii.

Num dicet plasma ei qui finxit se, cur me fecisti sic? an non habet potestatem Figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in ignominiam?

Ratio est obiurgationis hypocriticæ, improbantis iudicium Dei. Significatur autem hac comparatione potentia Dei, non quod Deus vt bonos, ita malos faciat. Sed quod possit facere quicquid vult. vult autem nihil nisi quod bonum & iustum est. An non Paulus hîc dicit Deum facere vasa iræ? nequaquam. non enim Deus facit quod punit, fert patienter vasa iræ, vt refingantur, non facit, vt pereant. sed comparatè loquitur. Comparatione enim docet Deum facere posse, quicquid vult. nec vltra se extendit hæc comparatio. nisi interpretari velis, facit vasa iræ, id est, permittit fieri, scilicet propter antegressam contumaciam.

Si enim Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, tulit magna cum patientia vasa iræ apparata ad interitum, & vt

notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam?

Dilutio est obiectionis hypocriticæ. quia autem hæc oratio defectiua est, complebitur si adieceris ad finem hæc verba, quis potest conqueri & accusare Deum iniusticiæ? quid enim iustius est, quam pertinaciter perseuerantes in suis peccatis & inemendabiles punire? quid iustius, quam confugientes ad misericordiam, in gratiam recipere? Impudens igitur oratio est & impia prorsus, iudicium Dei iustissimum iniusticiæ accusare.

Exposuimus doctrinam Pauli de adoptione credentium, & reiectione cōtumacium nolentium pœnitentiam agere & credere Euangelio: quam doctrinam Paulus accommodat ad vocatos cum ex Iudæis, tum ex Gentibus eamque fusius explicat vsque ad finem vndecimi cap.

Abhorreo totus ab eorum sententia, qui ex hac disputatione Pauli malè inferunt decretam reiectionem apud Deum esse causam incredulitatis hominum: cum reiectio adiunctum sit potius incredulitatis, & incredulitas subiectum reiectionis. Quemadmodum electio est adiunctum fidei, & fides subiectum electionis. verum quoniam subiecta interdum rationem causarum habent, nihil impedit quin dicere liceat incredulitatem esse causam reiectionis, & fidem esse causam electionis. Nam fides Christum apprehendit, qui vt creditus est causa electionis; ita non creditus est causa reiectionis. Quid multis? Conclusio generalis qua hanc disputationem claudit Apostolus, illorum opinionem euertit: sic enim ait, Conclusit enim Deus omnes sub peccatum, vt omnium misereatur. Sicut ergo, omnes homines sunt peccatores, ita Deus omnium hominum vult misereri. atque hæc Dei voluntas Indefinita est, sicuti ex su-

prædictis manifestum est. vult enim omnes homines saluari, sed cum conditione, quam idem Paulus, Gal. 3. repetens hanc ipsam sententiam exprimit, cum ait: Conclusit scriptura omnes sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi (id est, quæ facta est iis, qui in Iesum Christum credunt) daretur credentibus.

Cum his pulchrè congruit Epiphonema, quo Paulus claudit disputationem de electione credentium in filios Dei, & reiectione incredulorum.

O profunditas diuitiarum, & sapientiæ & cognitionis Dei!

Profunditas diuitiarum Dei est immensa bonitas & misericordia Dei erga genus humanum, videlicet quod ex sola misericordia propter Christum inuitet omnes ad salutem prædicatione Euangelii. Huius bonitatis & misericordiæ Dei latitudo, longitudo, profunditas & altitudo planè homini inperscrutabilis est. Eph. 3. Profunditas sapientiæ est, qua Deus omnes suas creaturas sapientissima prouidentia regit & gubernat. Profunditas cognitionis est, qua singula Ecclesiæ suæ membra exactissimè nouit, vt nemo sit, qui eius vultui non appareat; iuxta dictum Pauli 2. Timoth. 2. Solidum fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc. Nouit Dominus qui sunt sui. Non ergo est quod pius metuat se propter multitudinem impiorum, inter quos viuit, in obliuionem apud Deum venire posse.

Quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & viæ eius inperuestigabiles, Quis enim nouit mentem Domini?

Inscrutabilia, scilicet acumine rationis. inperuestigabiles, scilicet sensibus humanis extra verbum. nam ψυχικὸς homo non percipit ea quæ sunt spiritus

Dei

Dei.verbo igitur nobis sua iudicia & vias, quantum ad salutem attinet, satis demonstrauit. ideo Paulus 1. Cor. 2. ait: Nos mentem Domini tenemus.

Summa omnium est. Quod Deus in salutis mysterio, non respiciat ad carnalem propagationem, non ad maiorum dignitatem, non ad propriam alicuius virtutem, non ad merita, non ad potentiam. Breuiter, non ad quicquam de quo homo gloriari possit: sed eos solummodo veros filios Abrahę agnoscit, qui vestigiis fidei patris sui Abrahæ insistunt, nihil sibi tribuentes nisi merita mortis, sed solummodo Christi potentia & merito freti, credunt promittenti Deo, qui salutem gratuitam offert omnibus, idque absque omni distinctione Iudæorum & Gentium. Omnis enim qui credit in eum, non pudefiet: idem enim Dominus est omnium, diues in omnes qui inuocant eum.

Atque hoc propositum illud Dei est secundum electionem, quod nihil aliud esse potest, quam immotum decretum Dei, quo ipse elegit ante mundi constitutionem in filios, non qui ex sanguinibus, non qui ex voluntate carnis, non qui ex voluntate viri: sed qui ex Deo nati sunt filii Abrahæ. ideoque Paulus Eph. 1. ait: vt notum faceret nobis, mysterium voluntatis suæ secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo, hoc est, in Christo. Non est ergo alibi quærendum propositum & beneplacitum voluntatis Dei quam in Christo: in illo enim solo omnis qui crediderit saluabitur, vt filius promissionis; qui vero non crediderit condemnabitur, vt filius carnis. Cum his planè consentiunt, quæ ex primo capite ad Ephesios afferuntur.

Cum hæc asseueramus ex verbo Dei, quidam clamitant nos stabilire liberum arbitrium. quibus hoc responsum volo. Nec cum Pelagianis & Papistis nimium extollo, nec cum Stoicis & Manichæis o-

mnino tollo liberum arbitrium: ſed cum Auguſtino ſentio. Hic enim lib. 22. contra Fauſtum Manichæū ſic ait: Nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſin ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè vel malè viuitur propter iuſtum iudicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus. & rurſus: Liberam quidem voluntatem mihi dediſti, ſed ſine te nihil eſt mihi conatus meus. Diſtinguit ergo Auguſtinus inter libertatem voluntatis, quæ propriè liberum arbitrium dicitur, & facultatem præſtandi, quæ eſt aliarum virium: licet hæc à nonnullis etiam libero ſubiungitur arbitrio, ſed impropriè.

Diſcernendi ſunt itaque hi Gradus actionum, aſſentiri, velle, credere, conari, perficere.

Aſſentiri eſt, cum mens conuicta eſt miraculis diuinis, de veritate verbi Dei, & conſcientia cum mente ſentit, interdū etiam reclamante voluntate, vel hypocriſi, vel veternoſis opinionib⁹, vel odio occupata. Hinc naſcitur fides hiſtorica, quæ & mentis dicitur, qualis eſt in diabolis & in multis impiis hominibus, qui veritatem agnitam oderunt. de hac fide Iacobus loquitur cum ait: Diaboli credunt & contremiſcunt.

Velle eſt cum voluntas ſentit cum mente & eligit quod mens verbo Dei docta ſuadet. de hoc Gradu loquitur Auguſtinus cum ait: vocationi Dei conſentire vel ab ea diſſentire proprię voluntatis eſt, hoc eſt, liberi arbitrii. vnde idem Auguſtinus: ei non negatur liberum arbitrium, cuius conſenſus exigitur. ad hunc ergo conſenſum duo requiruntur, vnum vt doceatur mens, alterum vt iuuetur voluntas. mens ſiquidem niſi doceatur, nihil de rebus ſalutis intelligit, vt volūtas nihil bene vult, niſi adiuuetur à Gratia. etſi autem ſimpliciter velle, eſt naturæ: tamen benevelle eſt, gratiæ. qua gratia libertas voluntatis non tollitur, ſed iuuatur.

Credere verè ad ſalutem, eſt quando cor ſuauiter acquieſcit in eo quod voluntas vult & expetit. Hinc naſcitur fides filiorum Dei: quam Auguſtinus partim liberi arbitrii eſſe vult, & partim donum Dei fatetur, cum ait: Fides non eſt tantum liberi arbitrii (id eſt liber voluntatis motus acquieſcens in miſericordia Dei) verumetiam donum Dei, quia pater cæleſtis dat eam petenti.

Conatus eſt iuſtificati fide ſtudium pietatis, aſſiſtente Gratia, quare in conatu, & liberum arbitrium, & gratia adiuuans concurrunt.

Perfectio operis, nullius, excepto Chriſto, in hac vita eſt: niſi ex imputatione diuina. Deus enim non intuetur, quantum quilibet valeat, ſed quantum velit, vt in Abrahamo patre credentium videre eſt. Sed de libero arbitrio aliâs fortè copioſius diſſeremus.

Iam quid contra hæc obiiciant videamus. Fides, inquiunt, donum Dei eſt, Iohan. 6. hoc eſt, opus Dei, vt credatis, &c. Ergo nemo poteſt credere, niſi diuinitus fidem acceperit. Qui ex hoc loco Euangeliſtæ colligunt fidem donum Dei eſſe, falluntur: neque enim quid effiiciat Deus in nobis, ſed quid requirat ac velit, Chriſtus docet. Nam hoc vnum à nobis Deus poſtulat, vt credamus, quo per fidem Chriſtum poſſidentes, filii Dei efficiamur, vt nos ſpiritu ſuo gubernet.

Eſt ne ergo inquies, fides donum Dei? Quis hoc negat? imo hoc modo confeſſi ſumus: ſed negamus hoc probari poſſe ex verbis Euangeliſtæ, ſed potius fidem ex parte liberi arbitrii. Quis, dic mihi, habet aliquid boni niſi ab eo acceperit, qui ſolus eſt bonus, & vnicus fons bonitatis? quid, ait Apoſtolus, habes quod non accepiſti? & Iacobus cap. 1. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἐς᾽ ἀπὸ τῶ φώτων πατρὸς, καταβαῖνον ἄνωθεν. Eſt ne donũ Dei quod prædicetur tibi Euangelium? Eſt ne donum Dei quod audias Euangelium?

Eſt profectò. Quomodo autem fides ſit donum Dei, docet nos Dominus ipſe. Iohan. 17. Non pro eis oro tantum, ſed & pro eis, qui crediturí ſunt per verbum eorum in me. in eandem ſententiam Paulus, Rom. 10. ait: Fides ex auditu, Auditus per verbum Dei. Hîc Dominus ipſe & Apoſtolus eius nobis indicant ordinarium ad conſequendam fidem inſtrumentum, nempe prædicationem Euangelii, in qua ſpiritus ſanctus vult eſſe efficax, quem ſpiritum ſanctum iuxta promiſſionem filii pater cæleſtis dat petentibus ſe. Luc. 11. Et quidam ex patribus verè dicit: κρυφίως βοηθεῖν ὑμῖν ἡ χάρις οὐ παύεται. vt ergo notitia & aſſenſus eſt mentis: ita expetitio & fiducia eſt cordis acquieſcentis in promiſſionem Euangelii. Eſt proinde fides & donum Dei, & opus hominis. Donum quidem Dei, quia Deus dat verbum & intus cor mouet ad aſſentiendum audito verbo: hominis vero opus propterea quod homo volens credit, motus à ſpiritu ſancto, à bonitate obiecti, id eſt promiſſi.

Cur, dicat aliquis, negatis hominem iuſtificari operibus, ſi fides eſt opus? Reſpondeo. Cum operibus negamus iuſtificari hominem, opera intelligimus, quorum merito ſibi homo gratiam apud Deum conciliet. atqui fides nihil ad Deum adfert, quin potius hominem vacuum & inopem ſiſtit coram Deo, vt Chriſti gratia impleatur. Quare fides paſſiuum eſt opus, vt ita loquar, cui nulla poteſt rependi merces: nec aliam confert homini iuſticiam, niſi quam à Chriſto recepit. Eſt itaque fides donum Dei, nobis volentibus & expetentibus per auditum Euangelii, virtute ſpiritus ſancti, communicatum. Quare rectè Auguſtinus, cum ait: Fides non tantum eſt liberi arbitrii, ſed etiam donum Dei: liberi quidem arbitrii eſt, quia volentes credimus; donum vero Dei, quia opere ſpiritus ſancti in expetentibus & petentibus creatur. idem De ſpiritu & litera: Cōſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire

tire

tire propriæ eſt voluntatis. item: Voluntas, qua credimus, dono Dei tribuitur; quia de libero exiſtit arbitrio, quod cum crearemur, accepimus. Breuiter; quatuor in quib. Spiritus ſanctus eſt efficax, ad fidem efficiendam in homine, concurrunt, videlicet, audire Euangelium, cõſentire Euangelio, Expetere quod offertur, & Confidere promittenti Deo. atque hæc quatuor non ſunt violenta, ſed voluntaria. vides ergo quomodo fides ſit & donum Dei, & opus hominis.

Præterea cum iubet Dominus, vt credamus: cum promittit bona credẽtibus: cum minatur graues pœnas non credentibus: cum per Apoſtolos & Prophetas omnes hortatur ad cõuerſionem: cum exprobrat ciuitatibus infidelibus, quòd non egerint pœnitentiam, Matth. 11. cum laudat fidem Centurionis: cum vituperat ὀλιγοπιστίαν diſcipulorum: nonne ſatis oſtendit, quod homo poſſit credere, modò petat auxilium à Deo cum Ieremia, dicente: Cõuerte me & conuertar: quia tu Dominus Deus meus, Ierem. 31. Huc & promiſſio illa Ieremiæ 15. pertinet: Si conuerteris, conuertam te, & coram facie mea ſtabis.

Sed fortius vrgent dictum Domini: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Reſpondeo: Pater trahit verbo, trahit Spiritu, trahit ſpirituali voluptate, trahit promiſſione vitæ æternæ: non trahit funibus tanquam lapidem, non cogit te nolentem, & repugnantem, ſed volentem trahit, vt ait Chryſoſtomus: ὁ δὲ ἕλκων, τὸ βουλόμενον ἕλκει, id eſt, qui trahit, volentem trahit. Et Nazianzenus: ὁ γὰρ θεὸς οὐκ ἄκοντα σώσει ποτέ: id eſt, Nam Deus non inuitum ſaluabit vnquam. Quare te quoque velle oportet: & quando vis & petis, certiſſimum eſt te à Deo trahi & iuuari, qui dat Spiritum ſanctum petenti. Sed multi trahenti patri repugnant propria malitia, cum poterant obedire, ſi vellent. Quoties (ait Dominus, Matth. 23.) volui te congregare, vt gallina cõgregat pullos ſuos ſub

alas ſuas? & noluiſti. cum dicit eos Noluiſſe, ſignificat apertè, eos potuiſſe credere, ſi voluiſſent. Similem contumaciam Stephanus ſuis contribulibus obiicit, Act. 7. Dura ceruice & incircumciſis auribus & cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Et Dominus apud Eſaiam clamat: Tota die expādi manus meas ad populum contumacem, & contradicentem mihi. Hoc ipſo teſtimonio Paulus Iudæorum rebellionem accuſat, quam rebellionem teſtatur cauſam abiectionis eorum fuiſſe.

At dicunt, Ioh. 12. dictum à Domino eſt: Non poterunt credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant, id eſt, non credant. hinc concludunt Deum eſſe cauſam, quod multi non credant. Reſpondeo: Prædictio Prophetica non eſt cauſa, ſed indicatio euentus, qui ſuam propriam cauſam habet. Cauſam autem propriam, quod non potuerint credere multi ex Iudæis, idem Dominus indicat, Ioh. 15. cum ait: Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Iudæi ergo non poterant credere, impediti ambitione, hypocriſi, auaritia, falſa opinione de Meſſia, & iuſtitia legis. Nam vt ſtomachus noxiis & vitioſis humoribus refertus, faſtidit ſalubrem cibum, eumq; præ nauſea non poteſt admittere: ita mens repleta falſis opinionibus, hypocriſi, ambitione, non poteſt capere ſalutarem doctrinam fidei. Quare mens ante omnia exoneranda eſt ab omni hypocriſi, dignitate propria, & opinione meriti, quo ſentiat ſuam inopiam, & ita tandem eſuriat & ſitiat iuſtitiam, hoc eſt, credat in Chriſtum, vt ſatietur iuſtitia, quam Chriſtus illi credenti imputat. Fuerunt ergo impedimenta, quò minus crederent Iudæi, hypocriſis, ambitio, opinio meriti, odium Chriſti, &c. & non decretum Dei, qui cum vult omnes homines ſaluos fieri, vult etiam eos credere.

Nam

Nam ſine fide nemo adultus ſaluabitur. Quomodo autem excæcauerit eos, interpretatur Propheta, cum addit: Et indurauit cor eorũ, ſcilicet, vt cor Pharaonis indurauit, videlicet, dilatione pœnæ. addit: Vt nõ videant. Vт, hoc loco ἐκβατικὸν eſt, non αἰτιολογικόν.

Obiicitur & illud, 1. Pet. 2. Qui in ſermonem impingunt, nec credunt in quod poſiti ſunt. Reſpõdeo: locus eſt ambiguus, quem nonnulli, vt Lyranus, Lutherus & Caluinus interpretantur in hunc modum, quod poſiti fuerint ad credendum, quia illis erat deſtinata ſalutis promiſſio. His ergo verbis Petrus exaggerat incredulitatem populi à Deo electi, quod ſalutem peculiariter ſibi oblatam reſpuerit. Alii autem ſic; quod ad incredulitatem poſiti fuerint, quemadmodum Pharao dicitur in hoc poſitus, vt Deo reſiſtat. quod ſi recipimus, ad permiſſionem referendum eſt, & non ad conſilium Dei, nolentis mortem peccatoris. Eorum autem interpretationem qui vertũt, ad quod conditi fuerant, vt non crederent, non recipio. pugnat enim cum verbis Petri.

Quod ergo quis non credit, & gratiam vniuerſalem fide ſibi non applicat, ipſius propria culpa eſt, non Dei conſilium, volentis omnes homines ſaluos fieri, & in cognitionem veritatis venire. 1. Tim. 2.

Porro fides hæc concepta ex verbo Dei, & nata ex Spiritu ſancto, non debet ſemper tanquam infans eſſe, ſed oportet eam creſcere, vt fiat quotidie maior & robuſtior. Nam vt Ambroſius ait: Cito fides inexercitata langueſcit. Fit autem maior quatuor rerum incrementis, ſcientiæ, fiduciæ, deuotionis, conſtantiæ, ſicuti Bernhardus alicubi docet.

Scientia creſcit fides, quando aſſiduè verſamur in ſchola Chriſti, hoc eſt, quãdo legimus, audimus, meditamur verbum Dei, aſſiduè precantes, vt Deus nobis fidem confirmet & adaugeat,

Fiducia fit maior meditatione, & quando non ſuc-

cumbimus vllis tentationibus, nec procellis afflictionum & persecutionum cedimus.

Deuotione sumit augmentum, quando humili ac pio quodam affectu nos totos Deo subiicimus, eique adhæremus, nihil magis in votis habentes, quam vt Deo nos totos approbemus, vitam & fortunas obedientiæ erga Deum postponentes.

Constantia fit magna timore Dei, ardenti inuocatione, iugi gratiarum actione, charitate erga omnes indefessa, assidua pugna spiritus aduersus carnem, bona cõscientia, & diligẽtia in eo officii genere, ad quod quilibet vocatus est. Etsi autem his exercitiis solida fit fides, tamen ita perfecta fieri non potest in hac vita, quin aliquid ei accedere possit, vt semper in timore Dei nos contineamus, conantes magis in fide proficere.

Hic itaque admonendi sumus, ne quis nostrũ peccandi petulantia & longa consuetudine abusus benignitate Dei inuitantis se ad resipiscentiam, accersat sibiipsi iudicium, vt à Deo permittatur ruere in reprobam mentem. quod cum fit, homo ad verbum Dei obsurdescit, & sibi ipse eam peccandi necessitatẽ imponit propria voluntate, vt iam aliud quam peccare non possit: id quod Iudæis, qui præ aliis electus Dei populus habebantur, accidisse legimus. meminerimus ergo mandati Dei, dicentis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et Paulus ait: Milites honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Nam vt nauis amisso gubernaculo pellitur vndis: ita homo amissa fide, procellis Diaboli iactatur. hoc vnum conatur Diabolus, vt fidem homini excutiat, quo in hominem dominari possit. Quare vigilandum, militandum, orandum, vt anchoram salutis nostræ fidem retineamus, in ea crescamus, & vsque ad finem in ea perseueremus.

Porro gradus per quos credentes in possessionem beati-

beatitudinis & gloriæ promissæ venĩut, exponit Paulus, Rom. 8. Quos præsciuit (credituros) etiam prædestinauit conformes fieri imaginis filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit (scilicet cõformes crucis & gloriæ filii sui) hos & vocauit (per prædicationem Euangelii ad salutem) & quos vocauit, hos & iustificauit (remissis peccatis, & imputata illis iustitia filii sui) quos autem iustificauit, hos etiam glorificauit (adoptione & donatione vitæ æternæ.) Hæc omnia dicit Paulus facta esse ante constitutionem mundi, quod sanè ideo facit, vt commendet nobis religionis nostræ antiquitatem, quę non ab hominibus est inuenta, vt Romanorum, Ephesiorum, & aliarum prophanarum gentium religiones: sed à Deo ipso ante mũdi constitutionem ordinata, decreta, sancita, & tempore diuinitus statuto manifestata, Rom. 16.

Cum his consentiunt, quæ Paulus Eph. 1. scribit, Elegit nos, inquit, in ipso (hoc est, credentes in ipsum scilicet Christum) ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & irreprehensibiles in cõspectu eius per charitatem. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in sese (id est, in suos, vt sui essemus filii) secundum propositum volũtatis suę, (qua vult omnes credentes propter Christum in gratiam recipere) in laudem gloriæ gratiæ ipsius (vt laudetur & glorificetur gratia ipsius, qua diues est in omnes) qua gratos nos reddidit in dilecto (scilicet filio: diligit enim credentes in filium) in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionẽ peccatorum, secundum diuitias gratiæ eius.

Horum omnium finis paulo infra sequitur, vt simus (inquit) in laudem gloriæ eius, qui prius sperauimus in Christo. An non hæc omnia, vniuersalem gratiam, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, nobis commendant? sed huius illi soli participes fi-

unt, qui filium datum & oblatum in hostiam pro omnibus, fide recipiunt: alii autem omnes suapte culpa iustè pereunt.

Cæterum tametsi satis esse dictum videtur de vniuersali Gratia: tamen ad vberiorem, rudium præsertim, instructionem, huc duo adiiciemus.

Primò recitabimus quædam testimonia scripturæ, quibus confirmabitur necessitas conditionis, sine qua nemo saluatur.

Secundò, argumenta notabimus, quibus pia mens simplicium confirmata de voluntate Dei misericordissima seu gratia vniuersali se munire poterit aduersus Stoicā prædestinationem. Pius enim animus claris demonstrationibus confirmatus, non sinit se retibus sophistarum capi, sed ea securius contemnit.

De Primo.

Quia conditio ex qua salus nostra pendet, etsi vna est, tamen aliis atque aliis verbis in scriptura notatur, tenenda est regula.

Cum res vna plures habet proprietates æquè ab ea dependentes, tunc qualibet earum posita res ipsa simul poni intelligitur. Sic fides vera, quia sperat, inuocat, verè Deum agnoscit, diligit, timet, patiens est, &c. Quoties harum proprietatum fidei vna aliqua ponitur, fides quoque poni & adesse significatur. Solet enim scriptura has proprietates fidei sæpe pro ipsa fide ponere, ne quis vmbram fidei secutus seipsum miserè fallat, & glorietur de fide quam non habet.

Hæc conditio salutis nostræ, etsi vna est, & nititur sola misericordia Dei, & λύτρῳ pro peccatis nostris à filio soluto, consideratur tamen dupliciter, ideoque duplex dicitur: Antecedens, & Consequens. Antecedens est fidei seu conuersionis: hæc accipit in præsenti beneficium. Consequens est perseuerantiæ, id est, stabilis perpetuæq; permansionis in fide vsque ad finem:

nem: hac in plenam possessionem beneficiorum filii Dei ingrediemur.

Porro qui dicunt nos sine hac conditione electos esse ad vitam æternam, Euangelium prorsus abolent. Dominus dicit Marci vltimo: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Ioh. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui nõ credit in filium, ira Dei manet super eum. Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Iohan. 6. Hæc est voluntas patris, vt omnis qui vidit filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Paulus Eph. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, id est, elegit credentes in ipsum, scilicet Christum, ante mundum conditum. vocat enim ea quæ non sunt, tanquam quę sunt, propter euentum quem præsciuit. Paulus, Rom. 10. Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderũt iustitiam, iustitiam autem quæ est ex fide: Israel autem sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Item, si confitearis ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo quod Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Itẽ, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Item, Non est distinctio Iudæi & Græci, idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Item, Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas. Præclarè in Psalmo 9. dicitur: Sperabunt in te qui nouerunt nomen tuum, quia non dereliquisti quærentes te Domine. Quale nam sit hoc Dei nomen, explicat Psal. 145. Bonus Dominus omnibus, & miserationes eius super omnia opera eius.

De conditione perseuerantiæ ex multis hæc pauca

testimonia adiicere placuit. Ioh. 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint. 1. Tim. 1. Milites bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellētes fidei naufragium fecerunt. Col. 1. Si tamen permanetis in fide fundati, nec dimoueamini à spe Euangelii. Heb. 3. Nos domus Dei sumus, si fiduciam & gloriosam spem vsque ad finem firmam retineamus. Item: Participes facti estis Christi, si modo conceptam fiduciam vsque ad finem teneamus. 2. Pet. 2. Si elapsi ab inquinamentis mundi propter cognitionem Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora peiora primis. Melius enim erit illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod traditum erat illis sanctum mandatum. Contigit enim eis illud veri prouerbii; canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum.

Hisce testimoniis etiam manifestè confutatur error eorum, qui docent fidem semel conceptam non posse amitti. Sed Melanchthon dicit, & rectè quidē: Fides amittitur, & Spiritus sanctus excutitur, cùm homines peccato indulgent contra conscientiam. 1. Iohan. 3. dicitur: Nemo decipiat vos, qui facit peccatum ex Diabolo est. 1. Tim. 5. Si quis suorū & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et Augustinus ait: Non potest fieri, vt qui mala habet facta, habeat bonas cogitationes. Vbi ergo fides?

Arguunt contra ex dicto, quod est Matth. 16. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Ioh. 10. Non rapiet eas (scilicet oues meas) quisquam de manu mea. item, Nemo potest rapere

eas de manu patris. Ergo (inquiunt) qui credit non potest fidem amittere.

Respondeo ad antecedens. Antecedens loquitur de externa vi diabolorum & hominum, qui nihil quicquam possunt aduersus Ecclesiam Dei quin illa sit mansura. non autem de defectione voluntaria à fide. atque hoc est quod Ambrosius dicit: nemo potest tibi Christum auferre, nisi te illi auferas. Nam vt Christum, qui est summum bonum, nemo potest inuitus accipere, ita nemo potest inuitus amittere. Nego ergo consequentiam. Nam antecedens loquitur de Ecclesia, quæ non potest vi diabolorum & hominum vastari, & aboleri, vt non sit. Est enim fundata super petram. Huius autem Ecclesiæ duæ sunt partes: vna quidem secura triumphat in cælo; altera vero adhuc cum discrimine militat in terra. de hac loquitur Paulus 1. Timoth. 1. cum ait: milita honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Dum ergo retinet miles Christi fidem & bonam conscientiam, certus est de victoria: honestè enim militat. Sed quid subiungit Paulus? quam (scilicet bonam conscientiam) quidam repellentes, fidei naufragium fecerunt. Nam vt in portum perueniamus, regendus est bona conscientia nauigationis nostræ cursus. vastata proinde conscientia, fides salutis anchora amittitur, & absorbetur nauis fluctibus. Sed hanc responsionem eludere conantur, hoc modo. Paulus (inquiunt) in eo loco non de fide cordis, sed de fide mentis loquitur, qua videlicet, creditur doctrina esse vera. Sed hoc cauillum facile diluitur. Nam conscientia mala potest stare cum fide mentis, vt videre est in Diabolis, qui credunt & contremiscunt: at nullo modo in vna anima coëunt fides cordis & mala conscientia. Non igitur dubium est Paulum in eo loco loqui de fide iustificante, quæ cordis est motus voluntarius, acquie-

ſcentis in miſericordia Dei propter Chriſtum iuſtificatorem & donatorem ſpiritus ſancti.

1. Iohan. 3. Omnis qui in eo manet, non peccat. omnis qui in eo manet eſt electus. Ergo electus non peccat, neque fidem amittit. Reſpondeo. Propoſitio cum conditione intelligenda eſt, ſicut & aſſumtio. Omnis qui in eo manet, id eſt, quamdiu in eo manet, non peccat, (vt Diabolus & Cain ex ſuperbia & contumacia) manet autem in eo, donec militat honeſtè, retinens fidem & bonam conſcientiam. at conſcientia vaſtata, naufragium fidei fit. 1. Timoth. 1. Nec ſemen Dei manet amiſſa fide, qua & receptum erat in agrum cordis, & continebatur, ſed proh dolor, homo amiſſa fide, denuo ex filio Dei fit filius diaboli, donec diaboli opera facit indulgens peccatis contra conſcientiam.

Obiicitur & illud, Iohan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non ſitiet in æternũ. Ergo (inquiũt) credens non poteſt fidem amittere. Reſpondeo. Dominus loquitur ſub conditione, ſcilicet, ſi quis biberit, id eſt, ſi crediderit & in fide permanſerit, non ſitiet in æternum, id eſt, non alium potum poſtulabit ad reſtinguendam ſitim animæ. hoc ita eſſe confirmatur alio dicto Chriſti: Qui perſeuerauerit vſque ad finem hic ſaluus erit. Quare qui non perſeuerauerit, non erit ſaluus. Hæc conditio in omnibus ſimilibus locis eſt ſubintelligenda.

Matth. 24. dicitur, in errorem inducentur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ergo electus non poteſt fidem amittere. Reſpondeo. Fieri non poteſt quin electi perſiſtant, donec parent præcepto Chriſti. Cauete, vigilate, orate, & rurſus vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quare omnes electos iubet precari, ne nos inducas in tentationem, ſignificans electos periculo proximos eſſe, id eſt, tentationi defectionis, niſi

caueant,

caueant, vigilent, orent. Salus ergo electorum custoditur per fidem, quæ potentia Dei nititur, 1. Pet. 1. & merito Christi, Ioh. 16.

Teneamus proinde vniuersalia dicta de Gratia, & ea opponamus Sophisticæ, qua quidam conantur omnia dicta vniuersalia de Gratia restringere ad paucos quosdam contra manifesta scripturæ testimonia, à quibus qui aberrat, à salute aberrat. Certus & indubitatus, ait Paulus, est sermo, & omni approbatione dignus, quòd Iesus Christus venit in mundum, peccatores saluos facere. & ipse Christus ait: veni saluare quod perierat. item, Venite ad me omnes.

Sed contendunt signum OMNE, subiectum, cui additur, distribuere in singula generum, & non in singula specierum, & interpretantur hoc modo dictum Pauli: Deus vult omnes homines saluos fieri, id est, aliquos ex singulis statibus. sed istorum errorem suprà refutauimus, & ostendimus signum OMNE speciem, cui additur distribuere in indiuidua. Cæterum quidam diffidentes de hac distinctione, confugiunt ad duplicem vniuersalitatem, quarum vna est (aiunt) electorum; altera, reproborum. His responsum volo verbis Theodoreti: ἀποδεικτικῶς οὐκ ἀποφαντικῶς δεῖ λέγειν τῆς ἐκκλησίας δόγματα. Cum ergo sine scripturæ auctoritate hanc distinctionem dicto Pauli applicant, eam repudio, præsertim cum eius falsitas ex collatione locorum scripturæ demonstrari potest. Paulus dicit, Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Deus ipse ait Ezech. 33. viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. 2. Pet. 3. Deus longanimis est, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Hæc duo dicta Dei & Petri, non patiuntur signum OMNE. in dicto Pauli restringi vel ad singula generis, vel ad fictam istorum vniuersalitatem. Nam negandi particula fortior est, quam vt admittat illã distinctionem.

æquipollent ergo hæ propositiones: Deus vult omnes saluari: Deus non vult vllos perire, seu, Deus non vult mortem peccatoris. Quid quæso aliud est discedere à tam apertis & claris scripturæ verbis, quã cum Eua obedire Serpenti in propriam perniciem? Quare constanter teneamus has vniuersales promissiones, cum conditione adiecta, & agamus Deo patri gratias per Iesum Christum Saluatorem nostrum, cuius gratia apparuit salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mundanis desideriis, sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & gloriosum aduentum magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum, vt nos redimeret ab omni iniquitate. meminerimus dicti, Heb. 3. Domus Dei sumus, si fiduciam & gloriosam spem vsque ad finem firmam retineamus. Caueat cui salus curæ est, ne sinat sibi hanc conditionem vlla Sophistica eripi. Huius enim conditionis cogitatione excitamur ad petendum à Deo incrementum fidei, & acrius accendimur ad omne pietatis studium, vsq; ad finem vitæ.

Cæterum qui docent nec fidem semel conceptam posse amitti, nec spiritum sanctum excuti, multis occasionem ruinæ præbent. Nam ista persuasio primùm securitatem in multorum animis gignit, qua homo non amplius de salute sua sit sollicitus. Deinde ex hac securitate nascitur vicium omnium pestilentissimum, Acedia, quæ est pigritia & fatigatio animi, qua quis in pietatis exercitiis feliciter inchoatis, turpiter sordescit, segnescitque. Hanc acediam particulares lapsus varii excipiunt, donec paulatim irrepat Epicurismus: quem naturâ sequitur ἀπαλγησία qua fit, vt nullo peccati sensu tangatur homo. Hæc desinit tandem in desperationem, vnde in mortem æternam præcipitãtur homines, serpentis sibilo seducti. Quapropter hortor omnes pios, vt obtemperent Paulo

qui dicit, Qui ſtat, videat ne cadat. item, vigilate, ſtate in fide, viriliter agite. & precentur omni hora ex mandato Chriſti, Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Et Dauid Pſal. 51. Spiritum tuum ſanctum ne auferas à me ſcilicet vt mihi contigit lapſo in adulterium & homicidium.

De secvndo.

Argumenta quibus homines vel rudiſſimi in ſchola Chriſti de voluntate Dei & vniuerſali gratia ſatis erudiri poſſunt, ſunt quatuor, quæ totidem vocabulis ſignabimus, quæ ſunt:

Λύτρον.
Mandatum.
Promiſſio.
Sigillum.

Λύτρον, mandatum, promiſſum, his adde ſigillum,
Quam latè pateat gratia, ritè docent.

Hæc quatuor cum vniuerſalia eſſe, & extendere ſe ad ſingulos homines oſtenderimus, habebit pii hominis conſcientia, quo ſe muniat aduerſus portas inferorum, & præſtigias ſophiſtarum, vniuerſalem gratiam oppugnantium. de his ſigillatim dicemus.

ΛΥΤΡΟΝ.

Matth. 20. Filius Dei dabit animam ſuam λύτρον pro multis. λύτρον, id eſt, pretium redemptionis. Hinc Lucas vocat Dominum λυτρωτὴν Act. 7. propterea quod redemerit nos à capituitate Diaboli, à iure peccati & mortis. Hoc vt pro omnibus ſolutum eſt, ita offertur omnibus fide applicandum, iuxta hanc promiſſionem datam primis parentibus in paradiſo: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, id eſt, Chriſtus deſtruet regnum Diaboli, peccatum & mortem, & adferet iuſticiam & vitam omnibus qui hoc λύτρον fide ſibi applicant. Nam ſine fide manet homo ſub regno diaboli, peccato & morte.

Quod autem hoc λύτρον sit vniuersale, probatur sequentibus testimoniis. Iohan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, id est, condonat & remittit peccatum mundo propter λύτρον à se solutum. Hoc idem Iohannes in prima epistola repetens ait: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. 1. Timoth. 2. vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, qui dedit seipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. in hoc dicto Pauli ideo hominis mentio fit, vt sciamus quod quemadmodum mediator noster Deo patri vera diuinitate iunctus sit, vnde eius potētia concluditur: ita etiam nobis hominibus societate naturæ ex æquo sit copulatus, vnde eius voluntas cognoscitur, vt nos suos fratres, filios Dei faceret, interposita fide, qua nos in Christi corpus spiritualiter inserimur. Piè ergo Caluinus cum ait: Magis etiam vrget Lucas cap. 3. salutem à Christo allatam toti generi humano communem esse, quia Christus auctor salutis ex Adam commūni omnium patre sit progenitus. Hactenus Caluinus. Quoties ergo Christus se filium hominis, id est, Adam nominat, toties gratiam esse vniuersalem prædicat. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. pręterquam quod hoc dictum clarè docet λύτρον esse vniuersale, & pertinere ad omnes, habet etiam tres salutis consequendæ causas. Quarum prima est dilectio Dei patris, qua omnes homines complectitur, sicut antea à nobis demonstratum est. Secunda est λύτρον filii, quod est sufficiens pro peccatis totius mundi precium, sicut in Psalmo dicitur: apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio. Tertia, est fides hominis, quæ dilectione Dei & λύτρῳ soluto nititur, sine qua nemo (excipio semper Chri-

stianorum

ſtianorum infantes) Chriſti victimæ fit particeps.

Porro huc duas quæſtiones adiiciemus, & diluemus propter eos, qui offendūtur cruce Chriſti. Quęſtiones autem hæ ſunt:

Prior, Cum Deus ſit omnipotens, cur non alio modo ſuccurrit homini lapſo, quam morte filii?

Poſterior: Cum peccata hominum infinitorum ſint infinita, quomodo potuerit vnius hominis λύτρον omnibus ſufficere?

De priori.

Cum Deus ſit omnipotens, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere, quin facere poſſit quicquid velit: (ipſius enim velle eſt facere) cur non alio modo liberauit hominem à peccato & morte, quam per mortem filii ſui vnigeniti, eamq; ignominioſiſſimam nempe crucis? Cur non potius reliquit hominem ſub peccato & morte & damnatione, quam eum tanta ignominia filii redimeret? Reſpondeo: Cum Dei voluntas ſit iuſta, & potentia iuſta, non voluit nec potuit Deus alia ratione liberare hominem, quam iuſtiſſima. Deinde cum ſit bonus & miſericors, non potuit non ſuccurrere ſuæ creaturæ à diabolo ſeductæ præſertim cum eam condiderat ad imaginem ſuam. Deus itaq; motus miſeria generis humani, ſua ſapientia eam liberandi generis humani rationem elegit, quæ eſſet & iuſtiſſima & conuenientiſſima ad ipſius ſapientiam, potentiam, iuſticiam, miſericordiam prædicandam ab omnibus Angelis & electis Dei in omnem æternitatem. ideo nato Chriſto in Bethlehem, qui venit vt λύτρον ſolueret, Angeli canunt: Gloria in excelſis Deo, in terra pax, hominibus εὐδοκία.

Quod autem commodiſſima & conuenientiſſima ratio fuerit, per filium hominem factum liberare genus humanum à peccato, morte & damnatione, ipſumque donare iuſticia, ſalute & vita æterna, docet

Paulus, Rom. 5. Quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors. Si enim, inquit, vnius lapſu multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia, quæ eſt vnius hominis Ieſu Chriſti, in multos ſuperabundauit. item, Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnum, multo magis qui abundantiam gratiæ & donum iuſticiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. igitur quemadmodum per vnius lapſum, peccatum in multos homines in condemnationem venit: ſic & per vnius iuſticiam in omnes homines Gratia venit in iuſtificationem. item, Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ſic & per obedientiam vnius, iuſti conſtituentur multi. 1. Corinth. 15. Per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum in Adam omnes mortui ſunt: Sic & in Chriſto, omnes viuificabuntur. Ex his dictis Pauli oſtenditur, quod maximè congruerit iuſticiæ diuinæ, vt quemadmodum vnus in genere humano fuerit aliis auctor mortis, peccati & damnationis: ita viciſſim vnus in genere humano fieret aliis cauſa iuſticiæ, vitæ & ſalutis, abolitis per eum peccato, morte, damnatione.

Præterea conueniebat iuſticiæ diuinæ, vt quemadmodum peccatum res erat turpiſſima, ſumméque abominabilis: ita etiam pœna qua expiaretur peccatum debuit eſſe ignominioſiſſima, & maximè abominabilis & probroſiſſima, qualis erat apud Iudæos in crucem ſuſpendi, idque ſententia Dei, qui dixit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. atque ita Chriſtus eſt factus execratio (id eſt, victima expiatri execrationis noſtræ) vt nos in illo fieremus benedictio.

De posteriori.

Cum peccata hominum infinitorum ſint infinita, quo-

quomodo poteſt vnius hominis λυτρον, paſſio & mors ſufficere tot myriadum hominum peccatis & flagitiis abolendis? quomodo poteſt vnius hominis iuſticia ſatis eſſe omnibus temporibus, inde ab initio mundi vſque ad finem, ad iuſtificandum omnes credentes? Reſpondeo: Si eſſet puri hominis paſſio & mors, ne ei quidem qui pateretur, ſufficeret. Si eſſet puri hominis iuſtitia, non ad plures ſe extenderet, quam ad eum in quo deprehenderetur. At nunc eſt paſſio perſonæ, quæ eſt verus Deus & verus homo; & iuſtitia perſonæ, quæ eſt verus Deus & verus homo. Quia ergo perſona infinita eſt, eſt & paſſio & iuſtitia eius infiniti pretii & valoris. vt facile ſufficiat omnibus, qui Chriſti membra efficiuntur per fidem. & tametſi paſſio & mors eſt humanæ naturæ tantum, & non diuinæ: (diuinitas enim pati non poteſt) tamen ἀποτέλεσμα ipſum, id eſt, effectum, eſt perſonæ totius, Dei & hominis. Nam Deus & homo paſſus eſt, etſi in ea tantum natura, quæ pati poterat. Ad eundem modum, tametſi obediẽtia Chriſti, qua legem impleuit, erat humanæ naturæ, tamen quia iuncta eſt humana natura diuinę in vnitate perſonæ, iuſtitia hęc toti perſonæ aſcribitur, qua Deus & homo vna perſona legẽ Dei impleuit. Eſt ergo Chriſti paſſio ſufficiens λύτρον pro peccatis totius mũdi, & Chriſti obedientia ſufficiens iuſtitia omnium credentium; quia eſt paſſio & iuſtitia hominis, qui eſt Deus. Ob eam ſiquidem cauſam filius Dei factus eſt homo, vt ipſe Deus & homo, vna perſona, poſſet eſſe Sacerdos æternus, perfectus propitiator, perfectus iuſtificator, atque adeo perfectus redemptor omnium in ſe credentium. Sed de perſona Chriſti alibi copioſius diximus.

MANDATVM.

Mandatum ſecundum locum obtinet. Hoc mandatum voluntatem Dei verè paternam erga omnes

homines nobis commendat. Fieri enim non poteſt, vt voluntas Dei cum mandato ipſius pugnet. Quapropter cum iubet, vt totus mundus filium ſuum audiat, vult profectò vt omnes audiant: vult vt ex audito verbo fidem concipiant: (prędicatio enim Euāgelii requirit fidem) vult denique vt credentes ſaluentur. Filius Dei, qui eſt ſapientia patris, amandat diſcipulos ſuos in omnem terram, cum hoc mandato: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Hoc mandatum cum ſit teſtimonium de voluntate Dei, & ſit vniuerſale, clarè teſtatur, Deum velle omnium hominum ſalutem. Firmiſſimè igitur & ſine hæſitatione ſtatuendum eſt, mandatum Dei eſſe teſtimonium infallibile voluntatis ipſius erga homines. Nam cum mandat omnibus, vt audiant filium, vult reuera, vt omnes audiant, credant, iuſtificentur, ſaluentur.

Mandati vniuerſalis vim habent omnia pronunciata vniuerſalia de miſericordia & voluntate Dei, vt, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, Pſal. 145. Clemens Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Item: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. 2. Pet. 3. Deus longanimis eſt, non volens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Paulus, Rom. 10. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci: idem enim Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum.

PROMISSIO.

Promiſſio Gratiæ, quæ verè vniuerſalis eſt, ſimiliter voluntatem patris cæleſtis miſericordiſſimam erga omnes nobis commendat. Huc pertinent plurima dicta, inter quæ hæc ſunt, Eſa. 55. Omnes ſitientes venite ad aquas. Ioh. 6. Hæc eſt volūtas patris mei,

qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Item, Matth. 18. Non est voluntas ante patrem meum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Mat. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Ioh. 7. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Apoc. 22. Et qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. Apoc. 21. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

Hæc promissio Gratiæ vt est vniuersalis, ita etiam gratuita sola fide accipienda. Gratia cum nominatur, omne meritum humanum excluditur. Quare Augustinus in Psal. 30. ait: Quare gratia? quia gratis datur. quare gratis datur? quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te præuenerunt. Vtrumque docet Paulus, Rom. 9. 10. 11. vbi excludit apertè prærogatiuam carnis, & operum merita, & concludit omnem qui credit, non pudefieri. Non est (ait) distinctio Iudæi & Græci: idem enim Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Rom. 3. Iustitia Dei manifestata est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio.

SIGILLVM.

Paulus, Rom. 4. vocat circumcisionem Sigillum iustitiæ fidei. & quia noster baptismus successit in locum circumcisionis, rectè nos illum Sigillum gratiæ nominabimus. Hic baptismus cum omnibus offertur, offertur cum eo & gratia. Cum ergo Dominus iubet baptizari omnes gentes, vult verissimè omnibus gentibus obsignari suam gratiam, quam illis baptismo offert. Nunquam enim omnes gentes inuitaret ad baptismum, nisi omnibus gentibus salutem, quæ obsignatur baptismo, impertiri vellet. Quod autem baptismus in multis manet literalis tantum, hoc non fit Dei consilio & voluntate, qui verè suam gra-

tiam baptiſmo offert & obſignat, ſed hominum culpa, qui à pacto cum Deo in baptiſmo inito turpiter diſcedunt. Nam vt Deus promittit, & promiſſum obſignat: ita par eſt, vt homo ab altera parte fide reſpondeat. Siquidem in omni pacto vtraque pars pacti cõditiones & leges ſeruabit. Atque eam ob cauſam Petrus baptiſma definit ſtipulationem bonæ conſcientiæ cum Deo. Deus enim baptiſmum offerens, promittit gratiam. Conſcientia vero fide reſpondens, in pacto acquieſcit, freta reſurrectione Ieſu Chriſti.

Ex his demonſtrationibus euidentiſſimè nobis cõſtat de voluntate Dei paterna erga nos, quæ voluntas eſt cauſa & baſis prædeſtinationis & electionis ad vitam æternam. Firmam igitur fiduciam ſalutis teneamus, & tanquam ad arcem munitiſſimam, voluntatem Dei paternam & λύτρον filii nos recipiamus, nihil morantes Stoicam illam prædeſtinationem, quãtumuis magnos authores habeat.

Contendamus igitur benefacere ex fide, & quotidie magis magiſq; proficere, certò perſuaſi, quod qui promiſit, poſſit & velit præſtare promiſſa. Etſi autem bonis nôſtris operibus nequaquam nitendum eſt, ſed ſola Dei miſericordia & λύτρῳ pro nobis ſoluto: tamen ſciamus, quod tametſi bona opera non ſunt cauſa regnãdi, nihilominus eſſe, vt Bernhardus loquitur, viam regni, modò ex fide Ieſu Chriſti, qui ſolus eſt via non errans, veritas non fallens, & vita non deficiens, fluant.

D. IOANNIS CALVINI, VIRI clariſsimi, ſanctæq; memoriæ ſententia, de Gratia vniuerſali, ex Præfatione eiuſdem in Nouum Teſtamentum deſumpta.

Ad hanc hæreditatem vocantur OMNES, SINE PERSONARVM ACCEPTIONE, maſculi, feminæ; ſummi,

ſummi, infimi; heri, ſerui; magiſtri, diſcipuli; docto-res, idiotæ; Iudæi, Græci; Galli, Romani. NEMO hinc excluditur, qui modo Chriſtum qualis offertur à patre in ſalutē OMNIVM, admittat, & admiſſum complectatur.

Indicatio eorum, in quibus conuenit inter nos & aduerſarios, & in quibus non conuenit.

CONVENIT.

1. Vtrique fatemur præſcientiam, electionem, & prædeſtinationem, mundum conditum præceſſiſſe.

2. Vtrique amplectimur has hypotheſes. Si electi ſumus, credimus, vel credemus. Si credimus, electi ſumus.

3. Vtrique aduerſamur pontificiis quibuſdam, qui docent, præſcita merita eſſe cauſas electionis.

NON CONVENIT.

1. Nos gratiam vniuerſalem, quātum ad conſilium Dei attinet, defendimus: illi impugnant.

2. Nos vniuerſales promiſſiones propriè accipimus: illi reſtringunt.

3. Illis præſcientia Dei eſt cauſa electionis: nobis non eſt cauſa, ſed regula.

4. Nos ſalutem hominis pendere ex conditione fidei iudicamus: illi fidem effectibus prædeſtinationis adſcribunt.

5. Nos modū prædeſtinationis & electionis ex Paulo in Chriſto & per Chriſtum docemus: illi Chriſtū cauſam eſſe prædeſtinationis non agnoſcunt.

6. Illi cauſam reprobationis faciunt voluntatem Dei: nos contumaciam hominis præuiſam.

7. Illi omnium actionum bonarum & malarum fa-

ciunt Deum auctorem: nos bonarum quidem αἴτιον, malarum vero ἀναίτιον defendimus.

8. Nos docemus fidem amitti, & Spiritũ ſanctum excuti, cum homines indulgent peccato contra conſcientiam: illi inſtar ignis ſopiri ſub cinere dicunt fidem, & non extingui, nec Spiritum ſanctum excuti.

9. Nos docemus Euangelium prædicari, vt omnes audientes credant, & ſaluentur: illi affirmant Euangelium prædicari pleriſque in mortem, idque conſilio Dei nolentis illorum ſalutem.

10. Nos affirmamus Deum neminem creaſſe ad certam damnationem, ſed omnes ad ſalutem ſub cõditione conuerſionis ad Deum: illi contra dicunt, quoſdam creatos & ordinatos ad certam mortem & damnationem, ſine omni conditione.

Vide hîc dilecte frater, quid magis conueniat bonitati & iuſtitiæ Dei. Deus eſt bonus & fons omnis boni, ideo quicquid facit, bonum eſt & iuſtum. Condidit hominem bonum & iuſtum: ſed quia homo in bonitate non manſit, Deus eum iuſtè puniuit. Verum quoniam Deus clemens eſt, & miſericors, adeo quod ipſius miſericordia excedat omnia opera eius; miſeretur hominis, dat verbum promiſſionis, dat ſemen mulieris contriturum caput ſerpentis, id eſt, deſtructurum opera Diaboli, peccatum & mortem, & ſtatuit hoc decretum, quod velit omnes reſipiſcentes in gratiam recipere propter Chriſtum, & omnes cõtumaces, qui non reſipiſcunt, abiicere, iuxta Domini dictum: Qui crediderit, ſaluabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Huic æterno Deo, qui eſt pater & filius & ſpiritus, laus, & honor in omnem æternitatem.

AMEN.

DOMI-

DOMINICA ORATIO.

NEMO Deum rectè inuocare putandus eſt, niſi Deum habeat patrem: nec quiſquam ſe Deum habere patrem gloriari poterit, niſi agnoſcat mediatorem, & credat in illum. Quiſquis autem crediderit in illum, & omnem ſpem ſalutis in illo ſolo collocauerit, filius Dei naſcitur, ſanctus & electus vocatur. Quandocunque igitur fide in mediatorem recumbimus, efficimur filii Dei ſancti ac electi, & eadem fide acceſſum habemus per eundem mediatorem ad patrem, qui nos in filio charos habet, Rom. 5. Epheſ. 1. Fiducia itaque mediatoris nos exauditum iri à patre ſtatuamus, iuxta hanc dulciſſimam mediatoris noſtri promiſſionem, Ioh. 16. Quicquid petieritis patrem meum in nomine meo (id eſt, freti me mediatore) dabit vobis. Hæc promiſſio non quibuſuis, ſed tantum diſcipulis Chriſti, id eſt, omnibus in ipſum crēdetibus facta eſt: ſiquidem hi ſoli mediatorem Chriſtum habent, & propterea Deum patrem compellare poſſunt. Quoniam autem hi & de ſui adoptione, & de patris reuerentia ſemper cogitare debent, nunquā poterunt quicquam patrem petere, niſi quod ad patris gloriam, & ſalutem Eccleſię (cuius membra ſunt) facere videbitur. quod quidem totum in ea peccandi formula, quam Dominus præſcripſit ſuis diſcipulis, continetur.

Quæritur; Quid ergo peccator? poterit ne is quoque Deum precari, cum non ſit filius Dei, ſed eius potius, cuius opera facit, hoc eſt, Diaboli? Quid ſanctus, qui à Satana & carne ſeductus peccando amiſerat fidem, & excuſſerat Spiritum ſanctum?

Peccator non agnoſcens ſuam culpam, fruſtra Deum patrem compellat, cum operibus teſtatur ſe eſſe filium Diaboli. At peccator culpam agnoſcens ſuam, & ſuum deplorans reatum, blandè inuitatur ad

reſipiſcentiam à Chriſto, dicente Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Venite (ſcilicet humili corde, & contrito ſpiritu) qui laboratis (ſcilicet ſub onere peccatorum, metu diuinæ iræ, & ſenſu iuſtæ veſtræ damnationis perculſi) & onerati eſtis (ſcilicet in profundum peccatorum demerſi, & ſub molibus & fluctibus iniquitatum veſtrarum gementes) & refocillabo vos (id eſt, exonerabo vos ab onere peccatorum & iniquitatum veſtrarum, remittens vobis peccata veſtra propter victimā meam expiatricem peccati.) Huius dulciſſimæ inuitationis Dominus ipſe rationem reddit, Matth. 9. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam, hoc eſt, non veni in mundum, & factus ſum homo, vt vocem iuſtos (opinione ſua) ſed peccatores (vero conſcientiæ ſenſu, hoc eſt, laborantes & oneratos mole peccatorum & iniquitatum ſuarum) ad reſipiſcētiam, quæ per fidem in Chriſtum fit. Hìc ſi peccator obtemperat Chriſto, inuitanti ſe ad reſipiſcentiam, & ſupplex petit veniam, & dicit vero corde cum publicano: Deus propitius eſto mihi peccatori: concipitur in hac cordis ſupplicatione fides, qua iuſtificatur & regeneratur, atque ita exauditur à patre, vt filius, ſanctus & electus in Chriſto mediatore effectus.

Sanctus à Satana & à deſideriis carnis fallacibus deceptus, & lapſus in peccatum amiſſa fide, & excuſſo Spiritu ſancto, ingemiſcens exemplum Dauidis ſibi ob oculos mētis ſtatuat, ac reſipiſcens dicat vero corde: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Auerte faciam tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele: aſperge me Iſopo, & munda me ſanguine filii tui. Hoc cum facit, in ipſo rurſus concipitur fides, qua iuſtificatus & ſanctificatus, fit filius Dei ſanctus & electus. poſtquam autem è naufragio euaſit, fiat cautior, & nō deſinat cum Da-

uide

uide precari: Cor mundum crea in me Deus, ſpiritu ſpontaneo ſuſtenta me: Spiritum tuum ſanctum ne tollas à me. & meminerit dicti Salomonis: Beatus qui ſemper eſt pauidus. (non hic aliquem ad certa verba tanquam magica alligatum volo, ſed ad affectum cordis, qualis fuit in Dauide) cùm in hunc modũ peccator vere reſipiſcit, ingens per ſpiritum ſanctum lętitia & conſolatio in corde eius accenditur: quibus anima fidelis ſuſtentatur, paſcitur, reficitur, exhilaratur in ſpem vitæ æternæ. Hæc lætitia & conſolatio durat tantiſper dum militamus honeſtam militiam, retinentes fidem & bonam conſcientiam, & nõ ſuccumbimus in pugna ſpiritus & carnis, quæ nunquam, donec verſamur in hac vita, intermittitur: nullæ ſunt hîc induciæ ſomniandæ. Semper proinde ſtemus in armis armati verbo, fide, inuocatione, ac vero corde dicamus:

Pater noſter qui es in cælis. ſanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Matth. 6. Luc. 11.

Hæc precandi formula à Domino nobis commendata conſtat compellatione, petitionibus ſeptem, & ratione, de quibus quædam breuiter dicemus. Deus autem quæ conueniant ſanctiſſimæ huic precandi formulæ, paternè ſuggerat.

COMPELLATIO.

Pater noſter qui es in cælis.

HÆC compellatio admonet inuocaturos Deum

de rebus pluribus. primùm enim de voluntate Dei, & facultate præstandi ea quæ petimus. Pater est: ergo vult nos filios suos exaudire. Cælestis est, hoc est, omnipotens: ergo potest dare quæ petimus. Et quia idem pater sapientissimus & optimus; dat filiis non noxia, non perniciosa, sed vtilia & salutaria, idque suo sapienti iudicio, & non ex cæco affectu filiorum, qui sæpe noxia, sæpe perniciosa sibi petunt. Deinde hæc compellatio admonet nos amoris mutui, reuerentiæ & imitattionis. Amoris mutui: si ille est pater noster, profectò nos suos filios amat. Si nos filii ipsius germani: vicissim charissimum nostrum patrem amore prosequemur. Quod tum demum facere nos sciamus, si sermones eius seruauerimus. Reuerentiæ; qua & debitum honorem illi reddimus, & cauemus, ne tam benignum patrem offendamus timore casto & sancto repressi. Imitationis: est enim bonorum filiorum bonitatem & virtutes parentum imitari, quantum quidem hoc fieri potest. Estote, Leuit. 11, sancti, quia ego sanctus sum. Et filius ait, Luc. 6. Estote misericordes, sicut pater vester misericors est.

Vocula, NOSTER, fidei vox est, qua fide nascimur filii Dei, qui soli Deum patrem rectè compellāt. Cum autem nostrum patrem nominamus, Mediatorem meditamur, per quem pater est nobis factus, & quo mediante nos exaudit pater. Hæc ergo vox, vt admonet Christianos communis adoptionis in filio, item reuerentiæ & obedientiæ erga optimum patrē: ita eis commendat fraternum amorem & fraternam curam aliorum pro aliis.

CÆLORVM nomine admonemur, & quò mens nostra intra precandum erigenda sit: & quod commune votum Christianorum esse debeat aspirare ad patriam communem, nempe cælum ipsum, vbi præparata est nobis hæreditas. ideo Paulus ait, Coloss. 3. Quæ sursum sunt, quærite, vbi est Iesus Christus se-

dens ad dexteram Dei patris. Et Philip. 3. Nostrum πολίτευμα est in cælis, vnde expectamus Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit nostra humilia corpora, vt sint conformia suo glorioso corpori: idque ea potentia, qua potest sibi omnia subiicere. Hinc etiam apparet, quanta vanitas sit eorum, qui procumbunt coram idolis adoraturi, & qui inuocant creaturam vllam.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur nomen tuum.

O Pater, ô sanctificator, fac vt ipse sanctificeris, & celebreris, in nobis, à nobis, inter nos, & in omnes fines terræ. in nobis, viua fiducia: à nobis, moribus & vita: inter nos, confessione & prædicatione: & in omnes fines terræ, propagatione Euangelii, idque secundum nomen tuum. Quoniam autem cognitio nominis est, cum is cognoscitur, cuius est nomen (Nomen enim non propter nomen est, sed propter id quod significat) Nomen tuum est, quòd tu solus sis verus & æternus Deus, pater, & filius, & spiritus sanctus, conditor & conseruator omnium rerum: Nomen tuum est, quod sis omnipotens, sapiens, iustus, misericors, & verax: Nomen tuum est, quod resipiscentibus omnibus absque discrimine nationum & personarum remittas peccata propter meritum filii, iustifices, regas, & gubernes eos, & iuxta promissionem tuam des illis vitam æternam, atque punias contumaces æternis pœnis. Hoc tuum nomen agnoscatur à nobis, celebretur & sacrosanctum habeatur. Quod tum demum fit, quando nos tui filii à te sanctificati sic vitam, sicque mores instituimus, vt cum homines videant nostra bona opera, glorificent te patrem nostrum cælestem. Nam vt nomen tuum per vitam & mores profitentium pietatem, & non viuentium piè, prophanatur & blasphematur: ita glorifi-

catur sancta vita & moribus sanctorum, quibus Deum suum patrem honorant, vt filii charissimi, & alios inuitant exemplo. Breuiter, sensus huius precationis est: tribue nobis ô Pater, vt nos à te sanctificati tuum nomen, hoc est, te ipsum fide, confessione, vita, & moribus sanctificemus, & celebremus. ne quis nobis iustè obiiciat: Propter vos nomen Dei malè audit inter gentes.

SECVNDA PETITIO.

Veniat regnum tuum.

Regnum tuum, ô Pater, ô Rex noster, hic est gratiæ, ibi Gloriæ, vbique potentiæ. fac, quæsumus, tua potentia, & abolito Diaboli & vitiorum Regno, regni tuæ gratiæ ciues effecti in terris, tandem regni gloriæ consortes efficiamur in cælis. Tu ergo regna sic in nobis tuo verbo & spiritu in terra, vt iustificati fide habeamus pacem tecum, & inter nos & gaudium in spiritu sancto, ex remissione peccatorum & iusticia Christi nobis imputata, ex promissione hereditatis; quo tandem æternùm tecum regnemus in cælo.

TERTIA PETITIO.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

O Pater, ô Domine, effice, vt nos ciues regni gratiæ tuæ fide effecti, tibi Domino nostro ita alacriter in terris pareamus, sicut castissimi tui Angeli faciunt in cælis. Fiat igitur à nobis in terris, quicquid tu iubes, & quicquid tibi placet. Non hic petimus, pater, voluntatem potentiæ tuæ fieri, cui nemo potest resistere, sed voluntatem tuo verbo & signis patefactam: quæ sanè tua voluntas est amoris, gratiæ, & bonitatis plena, qua vis, vt omnes homines ad salutem cui eos destinasti, perueniãt. de hac tua voluntate Apostolus tuus nos confirmat, cum ait 1. Timoth. 2. Deus vult omnes

omnes

omnes homines ſaluos fieri,& ad cognitionem veritatis venire. vis ergo vtrumque, pater, & ſalutem omnium hominum, & medium quo ad ſalutem peruenitur, videlicet agnitionem veritatis, quæ eſt certa perſuaſio de veritate Euangelii, & fiducia in vnicum mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Similiter Petrus tuus Apoſtolus teſtatur de paterna tua erga nos voluntate, cum ait, 2. Pet. 3. Dominus longanimis eſt, non volens vllos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam recipere. Fac ergo, Pater, vt creſcamus in gratia & agnitione Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti, vtque indies magis magiſque fructibus iuſticiæ abundemus. Hæc enim voluntas tua eſt: quæ vt fiat, oramus.

QVARTA PETITIO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè.

O Pater, ô alitor, ale, quæſumus, in hac vita, corpus & animam noſtram, vt ſupereſſe & viuere valeamus; idque per panem vtrique conuenientem, & per media à te ordinata ad vtriuſque conſeruationem. vt enim corpus noſtrum cognatis ſibi cibis paſcitur, atq; conſeruatur, hoc eſt terrenis, vt quos terra producit: ita anima noſtra, quæ eſt ſpiraculum tuum, cæleſti cibo alitur & ſuſtentatur. Da ergo panem terrenum corpori noſtro, da fertilitatem terræ, da colonos gnauos, da paſtores populorum, id eſt, pios reges & magiſtratus, ſine quibus panis terrenus quæri & conſeruari non poteſt: prætere a animam noſtram paſce pane vitę, qui de cælo deſcendit, paſce verbo, pota ſpiritu tuo, foue piis & ſalutaribus cogitationibus, quo veris & cæleſtibus in te fruatur voluptatibus: mitte miniſtros Euangelii pios & ſanctos, qui tibi, & non ſibi gloriam quærant, quique tuas oues pabulo cæleſti paſcant, & pia vita regant.

QVINTA PETITIO.

Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O Pater, ô propiciator, tu nosti figmentum nostrum, tu recordaris, quòd puluis sumus, tu non ignoras, quam facilis sit lapsus. non enim est homo super terram, qui non peccet. Petimus igitur, pater misericordiarum, vt nostri miserearis, nobisque condones peccata, quibus tuam maiestatem quotidiè offendimus. Tuus dilectus Apostolus de te in hunc modum testatur, 1. Iohan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate. apud te enim, pater, habemus aduocatum, Iesum Christum, iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Et quia tu vis, pater, vt nostra facilitas ad condonandum fratribus sua in nos peccata, sit testimonium tuæ voluntatis erga nos, da gratiam, vt nos tuo exemplo condonemus iis, qui in nos peccauerunt. Tuus filius Saluator noster dicit: remittite & remittetur vobis: tu ergo, clementissime pater, fac vtrumque, & nobis agnoscentibus peccata nostra, pœnitentibus & confugientibus ad gratiam, remitte peccata nostra, & da gratiam, vt & nos iis, qui postquam nos offenderunt, agnoscunt culpam, & petunt veniam, condonemus ex animo errata sua, vt mutuo amore rursus coalescamus, ac tibi seruiamus.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Dominus noster Iesus Christus, qui eripuit nos è regno tenebrarum (in quod propter lapsum primorum parentum iusto Dei iudicio coniecti eramus) & vocauit nos verbo suo, spiritu suo, & sacramentis suis,

tanquam in paradiſum nouam, quæ eſt Eccleſia, reuocat nobis hac precatione in memoriam eam tentationem, qua noſtri primi progenitores & ſe, & ſuam poſteritatem in ſummam miſeriam coniecerunt. Atque hoc ideo pius Magiſter noſter facit, vt nos eorum damno admoniti vigilemus, ac caueamus inſidias Diaboli, ne nos ſimili fraude circumuentos in ſuos laqueos pertrahat. Vt enim Diabolus ſua Sophiſtica effecit, vt Adam & Eua progenitores noſtri, qui verè filii Dei ſancti & electi erant, primum de prouidentia Dei, de promiſſionibus & comminationibus eius dubitarent: ſecundò, vt ambirent quod nec illis donatum erat, nec illis conueniebat, nimirum, vt eſſent ſicut Dii: Tertiò, vt à Deo ad ſe deficerent, preferentes vocem Diaboli verbo Dei: Quartò, vt tandem deſperantes de venia, perirent, cum ſe nudos eſſe animaduerterent: ita nunc eadem fraude nos filios lucis ſanctos & Electos Dei aggreditur, quærens vt quamplurimos in ſuas tenebras pertrahat. Quapropter iubemur à Domino & Magiſtro noſtro, contra hanc fraudem, cui ſanctiſſimi quique expoſiti ſunt, quotidiè orare & dicere: Et ne nos inducas in tentationem. Vult ergo Dominus noſter nos cauere inſidias Diaboli, & ne nos, vt primi noſtri parentes, tentatione victi, efficiamur mancipia Diaboli, noſtrapte culpa è noua paradiſo eiecti. precamur igitur ne in hanc quadruplicem incurramus tentationem, primam, dubitationis de prouidentia Dei, de promiſſionibus & comminationibus diuinis. ſecundam, ambitionis, ne ſuperbi effecti appetamus quæ nec nobis diuinitus collata ſunt, nec nobis conueniunt, vt Adam fecit, qui cum rapere diuinitatem voluit, amiſit felicitatem. tertiam, defectionis à verbo Dei, ad verbum Diaboli, à Deo ad Diabolum, à ſummo bono ad ſummum malum, à perpetua felicitate ad ſempiternam miſeriam. quartam, deſperationis, ſicut Adam,

qui cum videret se nudum esse, desperauit de venia, tametsi postea, vt piè creditur, verbo promissionis rursus restitutus est.

Contra has horrendas & Diabolicas tentationes (quibus si homo succubuerit, in sempiternam miseriam præcipitatur) precamur, cum dicimus: Et ne nos inducas, &c. Hoc ipsum precari iussit Dominus suis discipulis in agone mortis, cum ait: Vigilate (id est, cauete insidias) & orate ne intretis in tentationem: quod nunquam iussisset Dominus suos discipulos precari, si fidem semel conceptam non possent amittere, & spiritum sanctum excutere, qui semel verè crediderunt, & donati erant spiritu sancto.

Præterea cum tentatio in genere, sit omne id, quo ad peccatum solicitamur, siue id sit in nobis, vt concupiscentia carnis & pauor: siue circa nos, vt crux, & externa Ecclesiæ facies: siue extra nos, vt varia scandala, & mundi vanitas: precamur etiam in vniuersum, ne vllo tentationum genere victi succumbamus, & rursus excludamur è paradiso, hoc est, κοινωνία sanctorum. In hunc igitur modum precemur;

O pater, ô defensor potentissime, tua nobis adsistito gratia, ne in dubitationis, ambitionis, defectionis, & desperationis tentationem per instinctum Diaboli incidamus, sed da, vt firmam fidem verbi tui, veram humilitatem, constantem perseuerantiam, & spem inuictam retineamus vsque ad finem. Da, ne cruce Ecclesiæ, vel prosperitate impiorum, aut vllis scandalis offendamur: da robur spiritui nostro, vt honestè militemus aduersus Satanam, carnem, & mundum: da vt possimus tua adiuti gratia retinere fidem & bonam conscientiam, quo tandem læti in inuocatione tui nominis hanc caducam vitam immortali & beata commutemus, per vnicum Mediatorem & redemtorem nostrum Iesum Christum.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

O pater, ô liberator potentiſſime, hoſtis noſter Diabolus eſt potens, eſt malus & ſemper malus, (ὁ γὰρ πονηρός οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός) quare nihil niſi malum cogitat, malum machinatur tuis filiis, inuidẽs eis ſalutem, qua ipſe contumacia & ſuperbia ſua excidit. itaq; nihil illi dulcius, quam vt tuis noceat, eoſque à te alienet. Nam circumit, vt leo rugiens, quærens quem deuoret. Deuorat autem omnes, quos ineſcat concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, faſtu huius vitæ, hypocriſi & hæreſi, ſeu pernicioſa doctrina. Quare te, liberator potentiſſime, rogamus ſupplices, vt nos à Diaboli inſidiis, atque omnibus malis liberatos tandem æterna vita, in qua fruemur tuo conſpectu in omnem æternitatẽ, beatos reddas; per & propter liberatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt verus Deus, & vita æterna.

RATIO.

Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.

Hoc eſt, idcirco pater clementiſſime, ad te preces noſtras in fiducia filii tui, & mediatoris noſtri, fundimus, quia tuũ eſt regnum: quod nobis filiis paraſti ab initio, per & propter filium tuum Ieſum Chriſtum, in quo nos charos habes, vt filios & hæredes: & tua potentia, qua facilè & nos liberare, & hoſtes noſtros profligare poteris: & tua gloria, quæ in omnem æternitatem duratura eſt, cuius nos quoque, vt filios, conſortes facies, propter filium tuũ, & fratrem noſtrum, Ieſum Chriſtum, cuius fiducia te inuocamus. Tibi æterno patri, cum filio & ſpiritu ſancto, ſit honor, imperium, gloria in omnem æternitatem.

Hæc vox, AMEN, est animi persuadentis sibi suas preces esse exauditas. Sensus ergo est, fiat nobis quod ex mandato filii tui precati sumus, qui nō iussisset nos te inuocare, nisi tu nos exaudire, & dare petita nobis vtilia & salutaria velles.



DE LIBERO VOLVNTATIS ARBITRIO.

LIBERVM voluntatis arbitrium non semper eodem modo accipitur. Nunc enim propriè pro vna potentia, nunc impropriè pro gemina sumitur. Sunt enim discretæ potentiæ velle aliquid, quod est proprium voluntatis, & idem posse efficere, quod est aliarum virium. Nam has potentias disertè distinguit Paulus, Roman. 7. cum ait: Velle adest mihi, perficere autem bonum non inuenio, id est, non possum. Sic & Augustinus distinguit, cum ait: Voluntatem quidem mihi liberam dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus.

Liberum arbitrium, cum pro vna potentia ac propriè sumitur, rectè in hunc modum definiri posse arbitror, quod sit, non facultas faciendi hoc vel illud, sed libertas solummodo voluntatis, qua homo liberè & expeditè potest vel eligere vel auersari, quod à ratione tāquam arbitro seu consiliario, eligendum aut auersandum statuitur. Vel in hunc modum: liberum arbitrium est vis voluntatis, qua bonum expetimus, & malum auersamur, duce ratione. Nam mutæ animantes memoriam, imaginationem & sensus sequūtur, ac duce natura, in obiecta diuersimodè feruntur, idque non voluntate, sed appetitu irrationali.

Differt

Differt autem liberum arbitrium à voluntate, vt proprium à suo subiecto, cui inest. Ex quo fit, vt in quocunque sit voluntas (id est, rationalis appetitus) in eodem quoque sit liberum voluntatis arbitrium propriè acceptum.

Ratio appellationis hæc est: liberum quidem dicitur, quia voluntas liberè vult, & non cogitur, id est, quia potest eligere & recusare quicquid vult. Græcè αὐτεξούσιον dicitur, quia in voluntatis libertate est inclinare se in quamcunque partem ipsa voluerit. Arbitrium verò, quia voluntas sententiam rationis, quæ placet, sequitur, & quæ displicet, auersatur. Nam vox arbitrii ab arbitrando, id est, diiudicando seu discernendo rationali consideratione, quid eligere, & quid recusare conueniat, appellatur. Vt ergo liberum ad voluntatem; ita arbitrium ad rationem refertur. Est autem voluntati diuinitus addita ratio, vt eius dux sit, eamque instruat, & non destruat: vnde fit, quod tametsi voluntas mutari potest, prout instructa fuerit à ratione: nunquam tamen libertatem amittat, quantum quidem ad interiorem eius actum (id est, naturalem eius potentiam & motum, vt loquuntur) attinet. Quare rectè Bernhardus ait: Volũtas pro ingenita sui nobilitate, nulla cogitur necessitate. Etsi autẽ Petrus humano timore victus, dominum abiurauit, tamen si interiorem voluntatis actum in Petro spectes, id nolens fecit, neque voluntas eius cogi poterat: interior siquidem actus voluntatis, qui est velle, eligere, consentire, semper liberrimus est. Aliter autem de exteriore actu voluntatis iudicandum est. Hunc si tantum spectes, Petrus nõ nolens Dominum abiurauit. Quare à peccato immunis non erat. Atque hoc respectu loquuntur Iurisperiti, quando voluntatem coactam ponunt, idque (vt illi dicunt) stricti iuris ratione. Natura proinde liberi arbitrii (vt nunc de eo loquimur) non ab externo opere, sed ex electione volũtatis, quæ

interna eſt, conſideratur. Aliud enim eſt poſſe eligere, & aliud, poſſe expeditè perficere, quod elegiſti liberè, vt ex Paulo oſtendimus.

Porro ad electionem duo requiruntur, videlicet, cognitio & appetitus: quorum illa præcedit, & eſt rationis: hic ſequitur, & eſt voluntatis. illi huic deſtinatur; hic illius finis eſt. vtraque autem vis in ſuũ finem naturæ indita eſt humanæ: illa quidem, videlicet intelligendi, vt homo ſingula expendat, quò ſciat quid bonum ſit, quid malum: hæc verò, ſcilicet volendi, qua bonum monſtratum à ratione eligat, & malum auerſetur. Electio ipſa, Græcè προαίρεσις dicitur. Hæc enim duobus aut pluribus propoſitis, alia præ aliis eligit, duce ratione. Siquidem vt ratio eſt veluti dux, conſiliarius, & arbiter: ita voluntas tanquam rex, qui liberè conſiliario ſuo paret, vel non paret. Eſt autem voluntas ipſa ita diuinitus condita, vt moueatur prout res cognita illi obiecta, boni, malive ſpeciem præ ſe tulerit. Nunquam enim voluntas eligit, aut auerſatur quicquam, niſi mota ab obiecto cognito, eoque bono malove, ſiue reuera, ſiue opinione tale ſit. Quantum autem ad rationem ducem voluntatis attinet, ſciendum eſt non referre, ſiue ea per ſe & ſuapte vi cognoſcat, ſiue ab alio ſit inſtructa & perſuaſa. Nam hic ſolummodo iudicium ſeu conſilium rationis cõſideratur, vndecunque illud habeatur.

Quoniam autem & iudicium rationis, & voluntatis electio pro diuerſitate ſtatus hominis (qui eſt quadruplex) variat, neceſſe eſt pro diuerſitate hac ſtatus hominis, liberum voluntatis arbitrium homini accommodare. id autem quomodo fieri oporteat, iam conabor explicare.

In ſtatu itaque hominis primo, qui erat innocentiæ, antequam homo ſeductus eſt, nõ ſolum ratio hominis fuit recta & ſana, & hominis voluntas quod à ratione recta, tanquam arbitro ſtatuebatur, eligere potuit,

potuit, idque liberrimè, verumetiam vires ad perficiendum idoneæ homini attributæ erant, idque ex tribus perſpicitur argumentis: quorum primum eſt, creatio hominis ad imaginem Dei: cuius imaginis pars quædam erat libertas voluntatis. Secundum, diuinum præceptum, quod fruſtra fuiſſet datum homini ante lapſum, niſi ei parêre potuiſſet. Tertium, comminatio pœnæ, quæ ſane iniuſta fuiſſet, niſi culpam declinare homo potuiſſet. De hoc ſtatu Syracidæ dictum, quod eſt cap. 15. 13. in eius libro intelligi poteſt. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui, hoc eſt, permiſit eum ſuo arbitrio, dicens: Si voles, cuſtodias mandata & fidem, faciendo quod placet. Habuit proinde homo in ſtatu innocentiæ liberum voluntatis arbitrium, idq; purum, ſanum & rectum, quod in hunc modum definiri haud ineptè poſſe puto. Liberum voluntatis arbitrium ante lapſum facultas erat, qua homo, nulla vi cogente aut impediente, potuit pro arbitrio, cum eligere, facereq; bonum quod placuit, tum auerſari declinareq. malũ quod diſplicuit. Fuit ergo homini ante lapſum gemina facultas, videlicet eligendi pro arbitrio, quod erat voluntatis proprium, & efficiendi idipſum quod elegerat, quod erat aliarum virium.

Poſtquam autem homo à ſerpente ſeductus eſt, mutatus eſt eius ſtatus à bono in malum. Lapſus enim amiſit rectitudinem, & excluſus eſt à paradiſo: in hoc autem ſtatu, qui eſt ſecundus, remanſit quidem & ratio, & voluntas: ſed illa corrupta; hęc aduerſus Deum contumax eſt facta. Ex quo factum eſt, quod vt ratio inſtructa à ſerpente, pomum tanquam rem bonam, eligendum ſuaſerit: ita voluntas rationi liberè, & non coactè parens, elegerit pomum vt rem bonam. Putabat enim Eua, ſe hoc pacto Deo ſimilem fore, iuxta dictum ſerpentis: eritis ſicut Dii. ſed fruſtra. Nam dum rapere voluit Adam diuinitatem (vt Auguſtini

verbis vtar) amisit felicitatem. Peccauit proinde Adam non coactus, sed libero voluntatis arbitrio. Et quia liberè peccauit, factus est peccati seruus miserrimus. Neque tamen ideo voluntas desiit esse libera, quia persona facta est serua. Alia enim est voluntatis, alia personæ libertas. Augustinus quidem ait; quod homo peccando & se, & liberum arbitrium perdiderit. Quod dictum non simpliciter, sed ex collatione intelligendum est. Vt enim se, sic & liberum arbitrium perdidit Adam. Perdidit autem se non omnino, sed ex parte: proinde & liberum arbitrium perdidit non omnino, sed ex parte. Vt ergo Adam perdidit se, non vt non sit, sed vt non sit talis, qualis antea fuit, hoc est, integer: ita perdidit liberum arbitrium non vt non sit, sed vt non sit tale, quale antea fuit, hoc est, integrum. Atque hinc est quod in posteris Adæ, ab eo iuxta communem nascendi legem natis, ante regenerationem, iudicium hominis (quod corruptæ rationis est conclusio) quantum ad spiritualia potissimum attinet, plane corruptum sit, & voluntas aduersus Deum contumax, id quod scripturis & experientia confirmatur. Gen. 8. 21. Figmentum humani cordis pronum est ad malum ab adolescentia eius. 1. Cor. 2. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. Psal. 13. 2. Rom. 3. 10. Non est iustus, ne vnus quidem, non est qui intelligat & exquirat Deum. Psal. 116. 10. Omnis homo mendax. Pauca refero testimonia, quia in scripturis non sæpius dicta, sed tantum dicta sufficiunt. Ex his paucis testimoniis concluduntur hæc tria, quod ratio hominis sit corrupta: quod voluntas sit contumax: quod vires ad facienda imperata sint languidæ, imò planè nullæ, quantum quidem ad spirituales actiones attinet. In hoc tamen statu, qui est peccati & miseriæ, cum voluntas arbitro suo, hoc est, rationi corruptæ obtemperat, liberè quidem & non coactè id facit: eligit siquidem

quidem liberè vt antea, ſed alia quam antea. Nam ſi coactè eligeret malum, extra culpam eſſet homo. Nunc autem quia liberè eligit, in culpa eſt, & pœnam meretur. Proinde neque ad virtutem, neque ad vitia, ne in hoc quidem miſeriæ ſtatu neceſſitate trahimur, ſed voluntate, teſte Auguſtino. Dixi autem quantum ad ſpiritualia, id eſt, quantum ad veram Dei notitiam, & ſpiritualem cultum Deo præſtandum attinet, propterea quod in rebus naturalibus, & externis, ratio ex paruis initiis naturâ notis, & per experientiam adhibita philoſophica amuſſi, demonſtratione, multas præclaras artes extruit, vtiles humano generi, quas rectè dona Dei eſſe magna agnoſcimus. In his cum ratio rectè iudicat, voluntas interdum paret rationi, interdum turbata affectibus, peſſimis conſiliariis, non paret, id quod in Medea (vt taceam propriam ſingulorum experientiam) cernitur, cum ait: Laudo meliora proboque, deteriora ſequor. Hic voluntas Medeæ liberè elegit, quod voluit, ſano rationis conſilio ſpreto. Quod tamen elegit, ſub ratione boni elegit. Atque ita multa facit voluntas per rationem contra rationem, hoc eſt, quaſi per eius miniſterium, contra eius conſilium & iudicium. At quantum ad ſpiritualia attinet, donec homo φρόνημα carnis ſequitur, nec intelligit, nec vult ſalutaria (ignoti enim nullus amor) ſed malum, quod peruerſe bonum eſſe iudicat, liberè eligit, vt Adam fecit. Paulus enim clarè ſcribit, Rom. 8.7. φρόνημα carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Legi enim Dei non ſubiicitur, neque enim poteſt. Intelligit autem Paulus per φρόνημα carnis ea, quæ enumerat Eph. 2. 3. videlicet: ἐπιθυμίαν, θέλημα καὶ διάνοιαν carnis, hoc eſt concupiſcentiam, voluntatem, & diſcurſum carnis, id eſt, veteris hominis effectus omnes, cogitationes, voluntates, ratiocinationes, & actiones omnes in rebus ſpiritualibus, ſeu vt breuius dicam, λόγον καὶ ὁρμήν. Vt autem λόγος eſt ratio dictans & ſugge-

rens: ita ὁρμὴ eſt impetus ex rationis & voluntatis cõſenſu excitatus. Non proinde mirum eſt, quod homo non renatus ſponte ſua prauis cupiditatibus, quibus mirum in modum delectatur, tãquam bonis ſeruiat, & liberè eligat noxia, tanquam vtilia, vt qui ita in puteum ignorantiæ & contumaciæ immerſus ſit, vt inde per ſe eluctari nec poſſit, nec velit. Tametſi autem, quicquid in rerum natura exiſtit, ad certũ finem conditum eſt, ad quem natura fertur (Vnde celebre illud philoſophorum ἀπόφθεγμα natum eſt, πάντα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται, omnia bonum appetunt, ſeu ad bonum referuntur) tamen homo poſt lapſum ab hoc fine lõgiſſimè aberrat. Et quanquam reliquæ ſunt facultates in homine deſeruientes illi bono, tamen conatus fruſtratur. Facultates hæ tres ſunt, & vocantur à Platonicis hiſce nominibus, λογιστική, ἐπιθυμητική, θυμική. Prima gradatim bona inquiruntur, donec peruentum fuerit ad ſummum bonum, videlicet, Deum ipſum. Secunda appetuntur & amantur bona, iuxta bonitatis gradus, & acquieſcitur in ſummo bono. Nam homini nullum bonum ſufficit, donec adeptus fuerit ſummũ bonum, in quo ſolo acquieſcit. Tertia, tanquam milite adeptũ defenditur, & pugnatur aduerſus ea, quæ huic bono aduerſantur. Vbi autem homo, vtcunque duce ratione, huc vſque aſcẽderit, vt intelligat & Deũ eſſe, & eundem eſſe fontem omnium bonorum, ac propterea amandum & colendum eſſe, mox ſuis ratiocinationibus à tam laudabili & pulchro principio abripitur, & in errores fœdiſſimos præcipitatur, adeo vt non ſolum à vero Deo, & ab eius vero cultu longiſſimè aberret: verumetiam colat creaturam loco creatoris, id quod Paulus Rom. 1. multis verbis conqueritur. Huius autem aberrationis cauſas enumerat idem Apoſtolus Epheſ. 4. 17. 18. cum ait: Gentes (id eſt, omnes non conuerſi ad Deum) ambulant in vanitate mentis ſuæ, excæcati intelligentia, alienati à

vita

via Dei propter ignorantiam quæ eſt in ipſis, propter obdurationem cordis ipſorum. Habet ergo homo non renatus mentem, ſed vanam: habet intelligentiam, ſed excæcatam: habet voluntatẽ, ſed contumacem. Hæc proinde voluntas cum ſponte & liberè eligit, quod ex vanitate mentis cæca ſuadet ratio, an non liberè & volens homo peccato ſeruit? Libertimè ſanè, etſi miſerrimè. Hæc voluntaria & miſerrima ſeruitus clariſſimè in hac imagine cerni poteſt. Meretrix pro arbitrio ſuo minimè coacta ſe amatoribus proſtituit, venditans ſe blanditiis. Qua quidem in re miſerè ſeruit, etſi liberè, id eſt, volens & libens hoc facit. Ad eundem modum voluntas hominis non renati, voluptatibus corporis miſerè ſe ſubmittit, atq; illis volens & non coactè ſeruit. Quod ſane liberi arbitrii eſſe nemo non fatetur. Si quæris ergo cur nam homo ſeruiat peccato, quod nemo malum eſſe dubitat, iam reſponſum eſt. Nam vt meretrix ſponte ſuis amatoribus ſeruit, vt quæſtum faciat: ita qui ſeruit peccato, quæſtum ex peccato quærit, ſiquidem nullum (vt Seneca ait) ſine auctoramento peccatum eſt. Auaritia pecuniam promittit; luxuria voluptatem; ambitio potentiam; mercede te vitia ſollicitant. Peccato ergo qui ſeruit, in bonis illud numerat, ſed fœdiſſimo errore, ob vanitatem mentis, & cæcitatem intelligentiæ. Etſi ergo homo non poteſt non peccare, in hoc ſtatu, præſertim ſi motus interiores animi reſpicis: tamen illa neceſſitas, non eſt coactionis aut violentiæ, ſed conditionis miſerrimæ & liberrimæ voluntatis. Nam voluntas in hoc ſtatu hominis, viciato & vicioſo amore langueſcens, amorẽ pariter iuſticiæ nõ admittit. Atq; hoc eſt quod Paulus vult affirmans veterem hominẽ corrumpi à deſideriis, quæ decipiunt. Eph. 4. vt ergo in primo ſtatuit homo non peccare: ita in ſecundo non poteſt non peccare, etſi liberrima voluntate id faciat. adeo miſera eſt eius conditio in hoc ſtatu.

A ſtatu ſecundo hominis quem peccati & miſeriæ eſſe diximus, ad ſtatum gratiæ, qui eſt tertius, fit transitus per conuerſionem ad Deum, quæ fit fide in Ieſum Chriſtum. In hoc ſtatu an homo habeat liberum arbitrium, videamus. Primum omnium vt à ſecundo ſtatu in hunc tertium tranſeamus, nequaquam eſt virium humanarum, ſed duo nobis in primis ſunt neceſſaria, videlicet vt doceamur, & iuuemur. Nam vt ſine doctrina prorſus nobis eſt incognita ad hunc ſtatum via: ita ſine adiutorio diuino nulla eſt in nobis facultas emergendi è miſeriæ ſtatu. Quomodo ergo tranſitur ad hunc ſtatum gratiæ? plura hic ordine requiruntur. Primum enim prædicatur lex, accuſatur peccator, ira Dei reo indicatur, & pœna peccati monſtratur. Hæc omnia à gratia Dei proficiſcuntur volentis nos è puteo miſeriæ extrahere. Hîc ſi homo non cõtumaciter ſe opponit voci legis, docetur & inſtruitur eius ratio, vt aliter iudicet, quàm antea. Docta autem & inſtructa ratio volũtati ſuadet vt pareat. Quod ſi hîc voluntas iudicio rationis obtẽperat, liberè quidem id facit: liberè odit peccatum: liberè auerſatur peccatum, & vellet ſe non peccaſſe, (quæ animi affectio μεταμέλεια dicitur in Apoſtolicis ſcriptis) hoc cum voluntas vult, non ſine gratia ſpiritus ſancti vult. Homo (ait Auguſtinus) non poteſt aliquid benè velle, niſi iuuetur ab eo qui non poteſt malè velle. Etſi ergo liberi arbitrii eſt, velle: tamen benè velle, gratiæ Dei eſt. Gratiâ Dei (ait Bernhardus) voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adiuuatur. Spiritus ſanctus igitur in voce legis eſt efficax, ſed ad timorem Rom. 8. 15. Act. 2. 37. Atq; hic eſt primus ad gratiam gradus, in quem nunquam conſcenderimus ſine doctrina, ſine adiutorio ſpiritus ſancti, & ſine voluntatis conſenſu, qui eſt liber ſui. Quemadmodum enim ad ſanitatem primus (vt vulgo dicitur) gradus eſt, nouiſſe morbum, ita initium ſalu-

tis eſt,nouiſſe peccatum. Deinde quando huc vox Euangelii acceſſerit (nam ratio humana per ſe Euangelium non intelligit, nec voluntas vult quod ignorat) iudicium rationis nouum ex Euangelio in eo qui ſtatuit vocem Euangelii eſſe veram,per ſpiritum ſanctum formatur. Huic iudicio rationis ex Euangelio petito, voluntas verbo Euangelii docta, & bonitate obiecti mota,& gratia Dei adiuta poteſt liberè obedire,& non obedire, hoc eſt, poteſt vel ſalutem oblatam Euangelio eligere, vel iudicio rationis ex Euangelio ſumpto reluctari. Nam, vt Auguſtinus ait,conſentire vocationi Dei vel ab ea diſſentire,propriæ voluntatis eſt. Si ergo eligit voluntas ſalutem oblatam, eamque expetit, id profectò liberè facit & non coactè. Quod ſane facere, eſt liberi arbitrii, & ſecundus ad gratiam gradus. An non & hîc doctrina,gratia Dei, & voluntas concurrunt? Contra verò ſi quis voce Euangelii non flectitur, nec gratia Dei ſe moueri ſinit,is profectò magis magiſque in puteum peccati & miſeriæ immergitur, idque ſuo libero voluntatis arbitrio. Vt Iudæi, qui vocem Chriſti inuitantis ſe ad gratiam,aſpernabantur ingrati. Matth. 23. 37. At ſi is qui eligit ſalutem monſtratam voce Euangelii, petit ſponte veniam, idq; ſupplex cum publicano,dicens, vero corde: Deus propicius eſto mihi peccatori,concipitur hoc in voto ac ſupplicatione fides in corde per ſpiritum ſanctum, qua fide liberè credit homo & non coactè. Atque hic tertius eſt ad ſalutem gradus, in quo ſimiliter coniunguntur doctrina,gratia,& voluntas humana. In hoc gradu fit ſalutaris conuerſio hominis ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum. Quæ conuerſio ab Euangeliſtis & Paulo dicitur μετάνοια,id eſt reſipiſcentia, ad quam ſolum Euangelium inuitat,& non lex, vt alibi à nobis copioſe monſtratum eſt. Contrito proinde corde malleo legis, & monſtrata via ad ſalutem voce Euangelii in qua ſpi-

ritus ſanctus eſt efficax, poteſt homo vtrumque, idq; liberrimo voluntatis arbitrio, hoc eſt, poteſt & ad gratiam ſe peruenientem, & adiuuantem applicare, & eandem gratiam contumaciter contemnere. Alioqui cur Stephanus obiiceret Iudæis Act. 7. 51. quod pertinaciter ſpiritui ſancto reſiſterent? Cur Chriſtus exprobraret Iudęis Matth. 23. 37. quod noluerint colligi ſub alis ipſius? Quis, quæſo, eſſet vſus miniſterii Euangelii? Quid prodeſſent adhortationes? Quid iuuarent obteſtationes? Quem fructum adferrent? Cui vſui eſſent promiſſiones & comminationes? Quid denique diſciplina faceret? Etſi autem omnino fatendum eſt, quod hominis nullum planè ſit meritum niſi mortis (nihilo enim magis meretur homo ſuo libero arbitrio in ſalutis negotio, quam mendicus porrectione manus meretur ſtipem ſibi à liberali homine porrectam) tamen niſi quis libero voluntatis arbitrio ſalutem amplectitur ſupplex, nequaquam fit ſalutis particeps. Nullo enim pacto fieri poteſt vt conuerſio ſit nolentis. Porro quod nec gratia tollat liberum arbitrium, nec liberum arbitrium minuat gratiam, vt quidam metuunt, Auguſtinus teſtis eſt qui ait: Neque enim libertatis arbitrium tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur. Et rurſus: Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? abſit, ſed magis liberum arbitrium ſtabilimus. Sicut lex per fidem: ita liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtabilitur.

Vt autem illuſtriora fiant quæ hactenus à nobis ſunt expoſita de ſtatu gratiæ, in quo homines habere liberum arbitrium ſtatuimus, exempla aſcribemus, in quibus quaſi in tabula conſpicientur, quæ diximus. Simon & peccatrix Luc. 7. audiunt Chriſtum ambo, idque ſponte & non coactè. Vtrique offertur gratia ex mera beneuolentia ſaluatoris. Sed quid fit? Simon ſecurus hypocrita, quia non habuit noticiam peccati ſui.

ti ſui, (quam primum ad ſalutem gradum eſſe diximus) oblatam gratiam ſpreuit, & pertinaciter restitit ſpiritui ſancto, idque abſque omni dubio, libero voluntatis arbitrio. Contra vero peccatrix territa conſcientia peccati, quod gemens agnouit, cum gaudio audit lætum Euangelii nuncium, cedit ſpiritui ſancto efficaci in doctrina legis & euangelii, eligit optatque ſalutem, ardenterque petit ſuorum peccatorum veniam, & in hac ardenti petitione naſcebatur in corde ipſius fides per ſpiritum ſanctum, qua fide liberè & non coactè credidit Euangelio. Vt ergo Simon libero arbitrio reſpuit ſalutem: ita eandem peccatrix docta verbo, & adiuta à ſpiritu ſancto, libero arbitrio amplexa eſt. Atque ita videmus in conuerſione huius peccatricis concurrere illa tria, quæ poſuimus, videlicet, doctrinam, gratiam & voluntatem. Auguſtinus exempla, vt idem confirmet, in medium adducit: Quantum, inquit, ad naturam, ambo, (loquitur de Nabugodonoſor & Pharaone) homines erant: quãtum ad dignitatem, ambo reges: quantum ad cauſam, ambo populum Dei captiuum poſſidebant: quantum ad pœnam, ambo flagellis admoniti. quid ergo fines eorum fecit diuerſos? niſi quod vnus manum Dei ſuper ſe ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. Alter verò libero contra miſericordiam Dei pugnauit arbitrio.

Porro qui diuerſum à nobis ſentiunt de voluntate hominis, primùm nobis obiiciunt dictum Pauli, Rom. 9. 16. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. ergo, inquiunt, repugnante & hoſtiliter ſe habente voluntate, homo inuitus conuertitur. falluntur: faciunt enim ex dicto ſecundum quid, dictum ſimpliciter, quemadmodum ex periſtaſi loci & ſcopo diſputationis Paulinæ facillimè intelligi poteſt. Opponit enim Paulus voluntatem & curſum hominis miſericordiæ Dei. id quod particula aduerſatiua, ſed,

conuincit. Est ergo hic sensus dicti Pauli. Quatenus voluntas & cursus hominis opponuntur misericordiæ Dei, nequaquam est volentis & currentis. Sed quatenus voluntas hominis & cursus subiiciuntur misericordiæ Dei, atque ea sola nituntur, est profectò & volentis & currentis, non autem nolentis & aspernantis. Qui igitur vult propter prærogatiuam carnis, & currit nitens meritis operum, ipsius certè & voluntas & cursus opponuntur misericordiæ Dei: de quo dictum Pauli intelligendum est. Sic volebat & currebat Ismahel, & Esau, & pleriq; Iudæi. Ex quo factum est, quod aspernati sint gratiam Euangelii. Contra vero qui vult & currit secundum verbum promissionis de gratuita misericordia in Christo, ipsius voluntas & cursus pendent à misericordia Dei, eaque sola nituntur. Sic volebant & currebant Isaac & Iacob. Sic multi inter gentes, qui misericordia Dei in Christo freti, libero voluntatis arbitrio amplectebantur Euangelium. Tales & hodie multi volunt & currunt. Hanc dicti Pauli interpretationem confirmat disputatio Pauli Rom. 9. 10. 11. & congruit cum dicto Iohannis 1. 12. Quotquot autem receperunt eum (scilicet fide) dedit ἐξουσίαν (id est, οὐρανίην τιμήν, vt rectè Nonnus vertit) vt filii Dei fierent, qui credunt in nomen eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, hoc est, non iuxta communem nascendi legem, non ob prærogatiuam parentum, non ob dignitatem propriam aut merita, sed ex Deo per gratiam nascuntur filii Dei: cuius gratiæ efficiuntur participes per fidem, quæ profectò voluntatis liberrimæ est.

Porro à tertio statu hominis, qui est gratiæ fit transitus in quartum, qui erit absque peccato & miseria beatissimus. In hoc statu, quia in eo reparabitur integrè imago Dei, qua erimus Deo conformes (vt Iohannes loquitur) non est dubium, quin libe-

liberum voluntatis arbitrium in sanctis sit futurum integerrimum, & purissimum, & constantissimum. Nam & ratio in hoc statu irradiata luce Dei, nunquam à vero bono, quod semper habebit in conspectu, aberrabit: & voluntas sanctificata & confirmata liberrimè rationi parebit, atque acquiescet in summo bono in omnem æternitatem, idque absque omni metu mutationis istius felicissimi status. Quapropter hominis pii conditio multò erit melior, & pfectior, in hoc vltimo statu, quã Adæ fuit in primo. Nam in primo statu potuit Adã vtrũq;, videlicet peccare, & non peccare: quod quidem magnæ felicitatis erat, & liberi arbitrii. At in hoc vltimo statu nunquã poterit peccare, quia nunquam volet peccare, quod & summæ felicitatis erit, & liberrimæ voluntatis arbitrii. Vt enim velle & posse malũ, defectus est quidã voluntatis: ita bonũ perpetuò velle & nõ posse malũ, maximus est voluntatis profectus, & libertas summa.

Hactenus de libero arbitrio dixi, prout propriissimè sumitur, licet aliquando propter statuum hominis, quos descripsimus diuersitatem latius videor orationem extendisse. Nunc autem eorum sententiam attingam, qui liberum arbitrium accipiunt, (vt plerique) pro gemina potentia, videlicet, & pro vi liberè eligendi, quod à ratione monstratur, & pro facultate perficiendi quod quis liberè elegit. Hìc cùm quæritur an homo habeat liberum arbitrium, non poterit simpliciter, habet, aut non habet, responderi. Sed distinguendi sunt actionum gradus, & pro graduum horum diuersitate aptanda est responsio. Eorum enim quæ ex libero voluntatis arbitrio eligimus, alia facile prestare possumus, vt quę nobis communia sunt cum brutis, item quædam hominis propria, vt scribere, legere, & ratiocinari: alia difficulter, qualia sunt vocationis cuiusque opera, in quibus multa occurrunt impedimenta, item, externa disciplina, seu externa

legis obedientia: alia nullo modo viribus nostris inchoare, ne dum efficere valemus. Huius generis est spiritualis Dei cultus, & spiritualis impletio legis diuinæ. Quoniam autem potissimum de hoc postremo actionum genere in ecclesia disputatur, de eo & nos hoc loco agemus præcipuè, & quid doctores Ecclesiæ de eo statuant, ostendemus, idque in eum finem, vt quid de eo sentiendum sit, apertè cognoscatur, vtq; non temerè damnentur innocentes.

Duæ sunt extremæ de libero arbitrio, cùm pro gemina potentia sumitur, opiniones. Harum vna est Pelagii, Manichæi altera. Inter has plures sunt mediæ, quarum aliæ proximè accedunt ad Pelagium, aliæ ad Manichæum, vna tantum regiam viam tenet.

Pelagius qui alterum extremorum tuetur, affirmat liberum arbitrium esse modum & causam consequendæ salutis: affirmat liberum voluntatis arbitriū sufficere ad operandam, perficiendamque iusticiam: affirmat hominem posse in hac vita, præceptis Dei cognitis, per gratiam creationis, ad tantam perfectionem iusticiæ, sine adiutorio gratiæ saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non sit iam necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra, nec, Ne nos inducas in tentationem. Hæc est summa sententiæ Pelagii de libero arbitrio, quemadmodum ex Augustino colligere promptum est: quā ideo recitaui, vt in quo conueniant Papistæ cum Pelagianis (ad quos proximè accedunt) & in quo discrepent, appareat.

Contra hāc Pelagii insaniam grauiter disputat Augustinus, & scripturis clarissimè conuincit hominem nequaquam habere liberum arbitrium, quale Pelagius somniat. Quo videlicet homo sine spiritu sancto, solummodo gratia creationis, & doctrina legis adiutus, possit implere legem Dei, præstare Deo perfectam obedientiam, & mereri vitam æternam. Et

quan-

quanquam rectè concedit Augustinus Pelagio, posse habere fidem, spem, & charitatem, esse naturæ; ea tamen verè habere, esse gratiæ affirmat, quæ gratia cum sit gratuita omni modo, nec ex dignitate, nec ex meritis nostris pendet. potentia siquidem naturæ non erumpit in actum, nisi gratia diuinitus conferatur, quæ cùm confertur, liberè fertur voluntas in obsequium Dei. Vnde fit, vt aliquam spiritualem obedientiam Deo præstare possimus, iuxta ipsius legem. Paulus Apostolus sex firmissimis demonstrationibus euincit, quod nullus mortalium in hac vita possit legi Dei ita satisfacere, vt coram tribunali Dei iustus ex operibus legis censeatur. Quæ demonstrationes quia alibi sæpe repetuntur, hoc loco summis solummodo capitibus signentur, quæ sunt, 1. vniuersalis experientia. 2. Iudicium Dei. 3. conscientia cuiusque. 4. dicta scripturæ. 5. conditio legis. 6. victima filii. Rom. 1. 2. 3. 7. Gal. 2. Quoties ergo Augustinus liberum voluntatis arbitrium conuellit, contra sententiam Pelagii loquitur. Nam aliâs sæpe homini liberum arbitrium attribuit, fateturque hominem sine libero arbitrio, nec rectè viuere, nec peccare posse. item, nec virtuti laudique, nec præmiis pœnisve locum esse. Quare dispiciendum est diligenter, cuius respectu nunc asseritur, nunc negatur liberum arbitrium ab Augustino & aliis: quod qui nõ obseruat, eum multis erroribus implicari necesse est. Non enim consentaneum est, vt id quod dicitur aliquid esse vel non esse, sit vel non sit omni modo quod dicitur esse vel non esse, præsertim cùm diuersi modi spectari possunt. Vt cùm dicimus, homo est mortalis, &, homo non est mortalis: vtraque enunciatio vera est, secundum aliud atque aliud. Sic arbitrium voluntatis est liberum, & non liberum, diuersorum respectu.

Monachi quidam insulsi proximè accedunt ad Pelagium, quorum doctrina, quantum ad præsens no-

gotium attinet, hæc summa est. Primum docēt, quod homines vi liberi arbitrii possint quædam bona opera facere, & ex congruo mereri gratiam. Deinde addunt, quod assistente gratia possint implere legem Dei, & iustificari operibus legis, & ex cōdigno, id est, meritis operum mereri vitam æternam. Tertio tribuunt homini opera supererogationis, vt vocāt, quæ aliis quibus volunt, applicent, vt ipsis sint meritoria. Quæ profectò doctrina ex diametro pugnat cum Euangelio. Meritum de congruo vocant, quando homo suo libero arbitrio talia opera facit, quibus æquū est, & congruit Deum moueri atque flecti, vt vicissim benefaciat, & infundat gratiam ita operantibus tāquam operis mercedem. Meritum ex condigno appellatur monachis, quod dignum est remuneratione, & cui iure vita æterna debetur. quę sane doctrina contumeliosa est in Christum. Opus supererogationis definiunt illud esse, cuius aliquis non est debitor, sed quod vltra officium Deo debitum facit. Quare & Deum sibi isto opere obligat, & aliis meretur gratiam & vitam æternam. Hoc genus operum neruus est Papatus, & fons omnis superstitionis, & idololatrici cultus in regno Antichristi. Hinc monasteria, hinc missæ, hinc indulgentiæ, hinc opes in Papatu cumulatæ sunt ingentes.

Contra hos Papistarum errores fœdissimos, de vi liberi arbitrii potenti spiritu diuinus Lutherus dimicat, eosque verbo Dei fortiter prosternit, & rectè liberum arbitriū, quale Papistæ fingunt, damnat: quod sane sex illis demonstrationibus, quas supra notauimus, funditus euertitur. Quoniam autem Papistæ superbè contendunt homines adoptionem mereri, & libertatem meritis operum consequi, idque vi liberi arbitrii, opponit Lutherus eorum stramineo fundamento, seruum arbitrium, propterea quod quicquid homines nondum renati faciant, sit peccatum. Vnde

eos seruos peccati fieri necesse est, iuxta Domini dictum Ioh. 8. 84. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et Paulus ait Rom. 6. 16. Quilibet seruus est eius cui obtemperat. Cum autem seruum arbitrium statuit Lutherus, de effectu liberi arbitrii in hominibus non regeneratis loquitur, videlicet quod faciat homines peccati seruos. Nam vt Papistæ contendunt homines liberos fieri meritis operum, ita Lutherus conuincit scripturis homines seruos fieri operibus, quæ ex libero voluntatis arbitrio manant ante regenerationem. Nihil autem impedit, quo minus liberum arbitrium & cum personæ seruitute, & cum voluntatis libertate stare possit. Est enim alia libertas personæ, alia voluntatis, sicuti antea quoq; admonuimus. Quod discrimen qui non obseruant in magna perplexitate hærent. Si ergo causam respicis, libertas voluntatis rectè liberum arbitrium dicitur: sin effectum, seruum meritò nominatur, propterea quod faciat seruos ante regenerationem, vt diximus.

Manichæus, qui alterum extremorum tenet, penitus tollit liberum arbitrium, nec illud in vllo actionũ genere admittit: adeo quod Deum autorem peccati impudenter faciat, nihilo sanior Iouiniano, qui ex eodem principio (quod mox ascribemus) hominem contendit peccare non posse. Sed age distinctius sententiam Stoicorum, Manichæorum, Iouinianistarũ, & Theologorum quorundam, qui hodie Manichæis proximè accedere videntur (modo eorum sentẽtiam rectè assequor) conferamus & expendamus.

Vno eodemque principio Stoici, Manichæi, Iouinianistæ, & quidam Theologi hodie nituntur, hoc videlicet: Deus omnia præscit. Ex hoc principio pariter concludunt, sed falso, omnia necessario fieri, & ex præscientia diuina pendere, alioqui aiunt, falleretur præscientia Dei. Cum autem hoc principium particularibus actionibus, præsertim hominum, accom-

modant, variè se torquent: & quò longius progrediuntur, eò magis se suis conclusiunculis inuoluunt & constringunt.

Stoici (vt ex primo libro Ciceronis De diuinatione manifestum est) simpliciter ineuitabilem omniũ euentuum necessitatem inde inferunt, tollunt contingentiam: & causas secundas ita primæ annexas esse volunt, vt aliter agere non possint, quam vt moueantur à prima. Hanc Stoicam illationem (vt mihi quidem videtur) non pauci verbis damnant, tametsi reipsa cum Stoicis faciant.

Manichæi vt hominibus peccantibus patrocinẽtur, ex eodem principio audacter inferunt, Deũ peccati autorem esse, propterea quod homines non possint præscientiam Dei effugere.

Iouinianus absurdius adhuc infert, qui vt Deo peccatum hominis ascribere non audet: ita hominem ab omni peccato liberum pronunciat, affirmans hominem peccare non posse. Nam quicquid facit, ex necessitate, vt ille sentit, facit. Cicero, vt est in secũdo De diuinatione, principium quo nituntur Stoici, Manichæi, & Iouinianus, conatur euertere, sed parum feliciter, hac ratione: Si præscientia est, certò eueniet quod præscitur à Deo: si certò eueniat, fortuna nulla est: At est fortuna; proinde nulla est præsciẽtia. Atq; ita Cicero declinans Scyllam incidit in Charybdim. Nam dum vult facere liberos, facit sacrilegos, vt Augustinus ait. Mouetur autem Cicero hac, vt ipse putat, iustissima ratione. Si nulla fortuna (per fortunam contingentiam intelligit) nullum est liberum arbitrium. Quod si nullum esse voluntatis arbitrium cõcedimus, omnis humana vita subuertitur: frustra leges dantur; frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque vlla iustitia, bonis prœmia, & malis supplicia cõstituta sunt. Huic sententię se fortiter opponit Augustinus, & dicit maximam

ximam insaniam esse, fateri Deum, & negare illũ esse præscium futurorum. Quare consecutionem argumenti Ciceronis constanter negat. Religiosus, inquit, animus vtrumque eligit, vtrumque confitetur, vtrumq; fide pietatis confirmat, videlicet esse, & pręscientiam Dei, & liberum voluntatis arbitrium.

Theologi quidam magni nominis viri, & alioqui præclare de ecclesia Christi meriti, quos vt fratres in Christo amo, proximè ad Manichæos & Stoicos accedentes, ex eodem plane principio suam sententiam de libero arbitrio, & aliis euentib. extruunt, sed distinctione quadam molliunt suum dogma. Si, inquiunt, primam causam attendimus, videlicet, præscientiam Dei, omnia ex præscientia & ordinatione Dei fiunt, ideoque necessario. At si secundas causas spectamus, multa fiunt contingenter. Hinc nõ verentur quidam inferre, Deum ordinasse adulterium Dauidis, quod quidem Dei respectu nullam rationem habuit peccati, sed, vt aiunt, quatenus Dauid indulsit suis affectibus, adulterium ipsius fuit peccatum, & merebatur pœnam. Hæc distinctio, vt cum pace illorum dicam quid sentiam, planè videtur sophistica, & reuera absoluit Dauidem à crimine adulterii, & Deum autorem peccati Dauidis cum Manichæis statuit. Nam si Deus, à quo omnia dependent & ordinantur, ordinauit adulterium Dauidis, ordinauit profectò etiam causas adulterii Dauidis, sine quibus fieri non potuisset adulterium. Sed neutrum videtur firmum esse. Scriptum est enim Psal. 5. Deus non volens iniquitatem tu es. Et ipse ait Ezech. 18. 32. Nolo mortem peccatoris. Si ergo Deus non vult iniquitatem, certè eam non ordinat, vt fiat. Si non vult mortem peccatoris, certè nec causam mortis vult, nec ordinat, vt fiat iniquitas vlla, tametsi cum facta sit, eam sapienter ordinat in finem vtilem. Iidem Theologi, posita hac sua distinctione, coguntur gratiam vniuersalem negare,

id quod intrepidè faciunt, eamque pertinere non ad ſingulos hominum, ſed ad ſingulos ſtatus hominum affirmant: quæ ſane doctrina pugnat cum vniuerſali mandato, cum vniuerſali promiſſione, cum vniuerſali λυτρῳ, cum vniuerſali obſignatione gratiæ. Atque ita iſti Theologi eodem relabuntur cum Stoicis & Manichæis, etſi neutri cenſeri volunt.

Sed quî fit, vt in hoc argumento adeo perplexi hęreant multi? Duę ſunt cauſæ: Vna, quod multi ſic imaginantur, futura eſſe Deo, ſicut nobis. Altera, quod putent, præſcientiam Dei eſſe cauſam omnium futurorum euentuum, cum non ſit; præſertim eorum, quos non ordinauit Deus. In eo quod imaginantur futura eſſe Deo ſicut nobis, multum erratur. Nam futura nobis tam Deo pręſentia ſunt, quam quæ nos vocamus præſentia. Nam quo capacior eſt mens (ait Viues) hoc illi tempus præſens eſt latius. Deo igitur infinitæ capacitatis infinitum tempus eſt pręſens, vt tota æternitas, quæ eſt infinita. Quapropter quæ apud nos futura & præterita dicuntur, à conſpectu Dei nũquam tranſeunt, ſed ſemper præſentia ſunt. Deinde cum præſcientiam dicunt cauſam eſſe futurorum euentuum omnium, ea fallacia decipiuntur & decipiunt, quæ ex eo quod nõ eſt cauſa cauſam facit. Non enim plus addit neceſſitatem rebus venturis non ordinatis à Deo, præſcientia Dei, quam præſentibus ſpectator cum fiunt. Beda rem hac ſimilitudine illuſtrat. Si video iacere aliquem, neceſſe eſt, vt ipſe iaceat, quẽ iacere video. Illa ergo neceſſitas à iacente eſt, aut à vidente? vtique non à vidente infertur neceſſitas vt iaceat. Sic neceſſitas euentuum ad Dei præſcientiam ſe habet. Deus igitur non poteſt dici peccati cauſa, ſiue materiale ſiue formale ſpectes, ratione præſcientiæ: nec alio quouis modo, præſertim ſi cauſam, vim efficacem intelligas. Neque enim quia peccatum non impedit, ſed permittit, eius cauſa haberi debet.

Nam

Nam vt Clemens Alexandrinus ait: τὸ μὴ κωλύων οὐκ ἔστιν αἴτιον, neque quod modum agendi quem indidit naturæ humanæ, cum eam primum crearet, conseruat. Nam cum iste modus est liber sui, poterat homo eo rectè vti in suum commodum, si voluisset: neque ex eo quod gratiam suam hominibus ingratis subtrahat, hoc enim iustitiæ Dei est. Huc ascribam memorabile dictum Augustini: Aliud est quod vult Deus, aliud quod permittit Deus. Vult bonum, permittit malũ, vtrumque præscit. Non ergo præscientia Dei est causa humanarum actionum. Non enim quia Deus prę-uidit & præsciuit adulterium Dauidis, Dauid adulterium perpetrat, sed quia adulterium commissurus erat Dauid, Deus præuidit. Si cui hæc nostra solutio non satisfaciat, ei consilium do, quod est Deut. 21.31. vbi Dominus in hunc modum suum populum alloquitur. Quicquid præcipio tibi, hoc tantum facito. item illud Syracidæ 3.22. Quæ tibi mandata sunt, ea sanctè meditare, & in pluribus operibus Dei non fueris curiosius.

Philippus Melancht. πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων regiã viam tenet: qui vt August. sentẽtiam contra Pelagianos; & Lutheri contra Papistas probat, vt verissimam, sicut reuera est: ita istorum Theologorum, qui ad Manichæos proximè accedunt, opinionem rectè, sed sine felle improbat. Nam eorum sententia pugnat cum verbo Dei vocantis & inuitantis omnes ad pœnitentiam: reddit homines partim ignauos, partim securos, partim desperabundos. Multi enim in desperationem impelluntur, dum ista opinione euertitur doctrina de gratia vniuersali, in quam omnes & singuli se fide includere iubẽtur. Nam si causam spectes, quæ est misericordia Dei in Christo, verè gratia vniuersalis est: at si euentum respicis, qui ex hominum culpa pendet, est particularis. Philippus ergo cum catholica ecclesia istud dogma iure improbat: qui quoniam

doctrinam eccleſiæ integram explicare propoſuerat, nõ potuit ſimpliciter nec tollere, nec ſtatuere liberũ arbitrium, quemadmodum illi, qui ex ſentẽtia aduerſariorum de limitatis diſſerebant quæſtionibus. Si quis ergo ea qua decet pietate & candore, ſententiam Auguſtini, Lutheri & Philippi æſtimat, videbit eximios illos in eccleſia Dei doctores prorſus eodem niti fundamento, idemque planè ſentire.

Quoties enim Auguſtinus liberum voluntatis arbitrium negat, Pelagii ſolummodo ſententiam oppugnat, qui putabat homines legem Dei implere poſſe, & mereri vitam æternam ſine gratia ſaluatoris. Quando Lutherus liberum arbitrium expugnat, etſi Pelagianos confodit; tamen potiſſimum Papiſtas inuadit, & proſternit, qui docent hominem aſſiſtente gratia poſſe implere legem Dei, mereri vitam æternam: quorum ſententiam ſuprà integram recitaui. Verum quãdo Philippus homini liberum arbitrium attribuit, alio reſpectu loquitur. Nam iis ſolummodo aduerſatur, qui Manichæi errorem quodammodo reuocant, vt qui negent voluntatem hominis verbo Dei doctam, & motam à Spiritu ſancto, poſſe ſe applicare ad gratiam, aſſentiri Euangelio, credere, ex fide Deo aliquam obedientiam præſtare: etiamſi fatetur neminem legi Dei in hac vita poſſe implere, præſertim ſi perfectio graduum ſpectetur.

Etſi autem Philippus habet totius ſcripturæ conſenſum; tamen huc illuſtre dictum Dauidis ad Salomonem adſcribam, quod vel ſolum veram ſententiã, quam tuetur Philippus, confirmat. Dictum Dauidis, vt eſt 1. Paralip. 28. 9. hoc eſt: Tu quoque Salomon, fili mi, agnoſce Deum patris tui, & cole eum corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur Iehoua, & omne figmentum cogitationum intelligit. Si quæſieris eũ, inuenietur à te; ſi deſerueris eum, abiiciet te in æternum. Hæc verba Dauidis tanquam

tanquam Dei ſunt accipienda, per ſpiritum enim Dei locutus eſt Dauid. Sint ergo nobis veluti vniuerſalis regula, ad quam licebit, vt ad amuſſim, reliqua exigere. Sunt autem in hac Dauidis oratione quatuor ſpectanda & perpendenda: quæ ſunt, mandatum, promiſſio, comminatio, conditio. Quid autem ſingula horum velint, expendamus. Cur mandat Deus? vt velis quod ipſe vult: vt facias, quod iubet, vtque petas quod nō potes. Cur Deus promittit præmia? vt præmiis voluntatem hominis ad obediētiam flectat. Cur idem minatur pœnas? vt pœnis voluntatem à contumacia deterreat. Cur Dominus addit cognitionem? vt ſcias permiſſum eſſe arbitrio tuo eligere vtrumuis, alioqui conditio omnino eſſet otioſa. Huc accedunt paſſim in ſcripturis blandæ inuitationes; amicæ admonitiones; obteſtationes graues; increpationes acutæ; expoſtulationes acerbæ; caſtigationes ſeueræ; quibus tanquam flabellis quibuſdam animus hominis excitatur, vt velit, conetur, & faciat imperata, ac declinet prohibita. Ad hæc, ſi homo non poteſt libero voluntatis arbitrio obedire Deo vocanti, docenti, hortanti, comminanti, aſpiranti, hominem profectò ludit, quod vel cogitare impiiſſimum fuerit. In Deut. 30.19, Dominus ait: Propoſui tibi vitam & mortem. elige ergo vitam, vt viuas. In Eſaia idem Dominus ait 63.2. Tota die expandi manus meas ad populum immorigerum & contradicentem mihi. An non hæc, & huiuſmodi ſimilia dicta, quæ paſſim occurrunt, ſatis euincunt hominis voluntatem requiri; vt opus Dei in illo perficiatur?

Sed propius adhuc conferamus ſententiam Lutheri & Philippi, vt clarè conſtet de horum virorum conſenſu in hac re. Ex teſtimoniis quibus vterque ad probandam ſuam ſententiam vtitur, pauca referam, & quid inde concludat vterq;, & in quem finem, exponam. 1. Corinth. 2.14. Animalis homo non perci-

pit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. 2. Corinth. 3. 5. Non ſumus idonei ex nobis ad cogitandum quicquam. Philip. 2. 13. Deus eſt is, qui operatur in nobis velle & perficere. Cætera quæ adducuntur teſtimonia cum his congruunt. Quid hinc Lutherus colligit? Quod homo nõ renatus nihil poſſit cogitare, velle & perficere in rebus ad ſalutem ſpectantibus per liberum arbitrium, quod habet à natura. In quem finem? Vt refutet Papiſtas, ſtatuentes hominem non renatum aliqua bona poſſe facere, quæ Deo placent, quæque de congruo Chriſti gratiam merentur, atque poſtea gratia aſſiſtente eundem hominem poſſe ea opera facere, quæ ex condigno, id eſt, iure merentur vitam æternam. Hæc Lutheri collectio firmiſſima eſt, & habet totius ſcripturæ conſenſum: quam & Philippus toto pectore amplectitur. Quid quæſo hinc Philippus? quod homo renatus, & diuinitus doctus, & motus à ſpiritu ſancto poſſit aliquid cogitare, velle, & facere per liberum arbitrium quod habet ex gratia. In quem finem? Vt excitetur in nobis ſtudium pietatis: vt quotidie proficiamus in recto curſu, retinentes fidem & bonam conſcientiam: vt ſciamus per nos ſtare ſi minus gratiam Euangelii oblatam omnibus conſequamur. An his aduerſatur Lutherus? minimè omnium. Imo hæc docendo, monendo, ſcribendo, concionando, Lutherus voluit. Nulla eſt igitur antilogia in Luthero & Philippo, modo vtriuſque conſilium, finem, & ſcopum ſpectauerimus, iuxta Auguſtini hanc regulam, In omni ſcripto obſeruandum eſt, quid, ſecundum quid, & propter quid dicatur. Quid autem dicatur, ex verbis ſeu Grammatica ſcitur. Secundum quid, ex circumſtantiis & Theoria. Propter quid ex fine & ſcopo eluceſcit. Sed audiamus ipſum Philippum ſua verba ſonantem. Ipſe enim optimus ſuæ ſententiæ eſt interpres. Tametſi, inquit, concedimus libero arbitrio libertatem ac facultatem ex-

terna opera faciendi, (quod Lutherus fatetur apologiam approbans)tamen illa ſpiritualia non tribuimus libero arbitrio(ſcilicet non renouato per gratiam)videlicet, verè credere, timere Deum, verè ſtatuere & ſperare, quod Deus nos reſpiciat, exaudiat, ignoſcat. Hæc Philippus. Hæc ſunt propria renatorum, qui libero arbitrio, quod ex gratia habent, verè credunt, verè timent Deum, verè ſtatuunt ſe in gratia eſſe. Non enim hæc inuiti aut coacti faciunt: ſed ex libero voluntatis arbitrio, manu Dei reformato. Bene proinde cogitare, bene velle, & bene viuere vni tribuendum eſt gratiæ, qua voluntas hominis reformatur, vt benè cogitet, velit, agat. Rectè itaque ab Auguſtino dictum eſt: Debemus Deo totum quod ſumus: totum quod habemus: totum quod poſſumus. idem in Pſalmo 138. habemus liberum arbitrium, ſed ipſo libero arbitrio quantum poſſumus, niſi nos adiuuat ille qui iubet? Cum his congruit Bernhardi dictum: Conatus ad bonum & caſſi ſunt, ſi non adiuuantur, & nulli, ſi non excitantur. Excitatur autem & voluntas & conatus, atque adeò augetur piis exercitiis, quæ ex libero proficiſcuntur arbitrio. Quare fiunt crebræ exhortationes in ſcripturis ad pietatis exercitia. 2. Corinth. 6. 1. Hortamur, inquit Paulus, ne fruſtra gratiam Dei receperitis. Hebr. 12. 15. contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. 1. Timoth. 4. 14. Noli negligere donum, quod in te eſt. item: hæc exerce, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit inter omnes. item: attende tibi ipſi & doctrinæ. 2. Timoth. 1. 6. Exuſcites donum Dei, quod in te eſt. Vocabulo exuſcitandi, quo vtitur Paulus, ſignificatur, qualis res ſit gratia Dei in homine, videlicet, viua quædam flammula in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum accenſa, qua corda noſtra ardent vero timoris Dei & pietatis ſtudio. Hanc flammulam cum caro & Satan nituntur ſuffocare, noſtrum erit piis exercitiis, quæ profectò voluntaria

sunt, eam quasi sopitam exuscitare. Nam si gratia hæc non subinde suscitatur crebris exercitiis, paulatim extinguitur, amittitur fides, excutitur spiritus sanctus, ac homo rursus Satanæ subiicitur, & fiunt posteriora eius peiora primis. Hæc cogita, qui verè Deum timere statuisti, & ne permittas te strophis & argutiis Sophisticis inuolui, in tuam ipsius pernitiem, id quod multi, proh dolor, hoc die faciunt: sed potius audi communem nostrum magistrum, qui ait: Vigilate & orate ne intretis in tentationem, Matth. 14. 18.

Porro vt quæ sit Philippi sententia de hac re, & quam benè congruat cum totius scripturæ consensu, apertius cognoscatur, huc placet pauca ascribere, quibus etiam confirmabuntur, quæ supra à nobis dicta sunt. Philippus fidelissimus ecclesiæ doctor, vt nihil omittat quod ad spiritualem obedientiam erga Deum attinet, tria ad spirituales actiones requiri rectissimè tradit, quæ sunt verbum Dei, spiritus sanctus, & voluntas hominis: quæ tria suprà requiri ad veram conuersionem ostendimus. Cum enim hæc tria in homine concurrunt, percipere & cogitare spiritualia potest, potest velle, potest facere aliqua Deo grata, tametsi legem perfectè, si gradus spectes perfectionis in hac vita, implere nequeat, quemadmodum iam sæpè testati sumus.

Sed operæprecium videtur, vt explicemus quid horum singula, & quid simul omnia in actionibus Deo acceptis efficiant: quod vbi constiterit, veritas se luce clarius exhibebit conspiciendam. Verbum Dei quod primum locum occupat, iudicium in mente format, & medetur ignorantiæ naturali, ita vt quæ per rationem antea scire non poteras, verbo Dei edoctus cognoscas, & cognita cogites ac mediteris. Spiritus sanctus qui datur petentibus iuxta promissionem Christi, tria in homine non contumaciter sibi resistente, operatur. Primum enim obsignat verbum

in

in animis amplectentium Euangelium, iuxta promisſionem domini: Spiritus docebit vos omnem veritatem. Deinde oleo gratiæ duritiem cordis emollit, mouens & flectens voluntatem, vt iam sponte velit quod antea noluit. Tertiò intus regenerat. nam dum mens confirmatur arrhabone ſpiritus, & cor mollitur oleo ſalutari, occultè fit regeneratio, qua homo fit noua creatura, quæ regeneratio tum demum ſentitur, cum facta fuerit. Sentitur autem ex flammulis in corde accenſis, non ſecus atque vita ſentitur in homine ex animali motu. Hæc regeneratio, cum qua coniuncta eſt iuſtificatio, quæ tamen ab illa diſcreta eſt, inchoatur quidem in momento: ſed incrementa ſumere debet quotidie piis exercitiis per totam vitam. Nam cum nō creſcit, decreſcit, & paulatim vetus homo dominium recuperat. Voluntas inſtructa verbo, & mota ſpiritu ſancto poteſt & obedire & reſiſtere verbo & ſpiritui ſancto. Quod ipſe dominus clare teſtatur cum ait Matth. 23. 37. Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti. Et Stephanus Act. 7. 15. ait: Vos dura ceruice, ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri. Quid clarius dici potuit? Dominus flens ſuper Ieruſalem affirmat ſe voluiſſe congregare incolas Ieruſalem ſub alis ſuis: ſed Ieruſalem noluiſſe. Stephanus dicit Iudæos reſtitiſſe ſpiritui ſancto, ſcilicet mouenti eorum voluntates. Quare moti à ſpiritu ſancto poterant velle ſalutem oblatam, ſed liberrimo arbitrio oppoſuerunt ſe ſpiritui ſancto. Nullo igitur modo ſentiendum eſt cum Manichæorum familia, quod voluntas ſe habeat in conuerſione & aliis piis exercitiis, vt ſaxum quod violenter trahitur. Dominus quidem dicit. Nemo venit ad me, niſi quem pater traxerit. item, compelle intrare. Sed hic tractus non eſt violentus, ſicut nec compulſio, nec fit funibus: ſed verbis blandis, promiſſione ſummæ fe-

licitatis. Trahitur ergo qui venit ad Christum spirituali quadam voluptate, trahitur desiderio eius boni quod Euangelium offert. Dominus ipse optimus suorum verborum interpres, exponit qualis sit tractus, quo homines ad filium trahit pater. Omnis, inquit, qui audit à patre, & discit, venit ad me. Cum igitur audis verbum Dei, aut ipse legis, scias te à Deo trahi. Augustinus hunc patris cælestis tractum duabus similitudinibus illustrat. Ramum, inquit, viridem ostendis oui, & trahis illam. Nuces puero demõstrantur, & trahitur. Homo ergo trahitur ad Christum, qui delectatur veritate, qui delectatur iustitia, qui delectatur beatitudine, qui delectatur sempiterna vita. Non ergo tractus est semper violentus, sed aliquando spõtaneus & periucundus. quod & Poëta intellexit, cum ait, trahit sua quemque voluptas. Hoc etiam confirmatur aliorum patrum testimoniis. Chrysostomus ait: Qui trahit, volentem trahit. Nazianzenus: Deus neminem inuitum saluabit vnquam. Redeo ad Augustinum qui ait: Ex potentia Dei vel in malum, vel in bonum nemo inuitus cogitur. Et Bernhardus verissimè dicit: Voluntas bona nec dari potest inuito: nec auferri nisi volenti. Neque compulsio, de qua dominus loquitur, cum ait: Compelle intrare, vt impleatur domus mea, est violenta: sed fit virtute veritatis, quæ Christi miraculis demonstrata est. Sic veritas vincit & inualescit, & sua vi compellit multos, vt Christi iugum sponte subeant.

Ex his luce clarius concluditur, voluntatem hominis non tantum passiuè, vt quidam docent, in conuersione, ac in piis actionibus concurrere: verumetiam efficacem esse, ita vt reuera velit, expetat, suppliciter & intimis animi suspiriis anhelet, vt voti compos fiat. Nolite inquit Dauid, fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Passiuè quidem se habet voluntas, dum mouetur ab obiecto bono, &

cum

cum flectitur à ſpiritu ſancto, ſed quando apprehendit obiectum, omninò actiuè ſe habet, & volens apprehendit obiectum, non coactè. Auguſtinus ait: Qui fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine te. ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem. Voluntas quidem non eſt niſi tua; iuſticia non eſt niſi Dei. Breuiter, voluntas naturaliter mouetur bonitate obiecti, ſed non permouetur ſine gratia. Quare cum dominus mandat vt credamus, ſimul monet vt oremus patrem, vt det ſpiritum gratiæ quo permoueatur voluntas. Atque ideo pii nunquam audiunt, aut legunt verbũ Dei, niſi initio facto ab inuocatione Dei, vt verbum auditum aut lectum fructum faciat.

Huc duorum dictorum, quæ ſunt apud Ezechielem, collationem aſcribam. Nam horum dictorum, quæ videntur in ſpeciem pugnare, conciliatio, multum lucis adferet præſenti diſputationi & confirmabit veram ſententiam, quam hic proponimus. Dominus apud Ezechielem cap. 36. 26. ſic ait: Dabo vobis cor carneum, & ſpiritum nouum dabo in medio veſtri, & faciam vt in pręceptis meis ambuletis. Cap. 18. 31. idem dominus ait: Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. In his duobus domini dictis videtur implicari contradictio. Nam quod prius dictum Deo tribuit, hoc poſterius homini tribuit. Si Deus facit cor carneum, homo hoc non facit. Contrà, ſi homo cor carneum & ſpiritum nouum facit, Deus hoc non facit. Quid ergo hic faciendum? accipiam ne prius, vt deſtruam poſterius, vel ſumam poſterius, vt deſtruam prius? nullo modo. Nam hoc eſſet ſcripturam ſoluere. Quid ergo? quærenda eſt iuxta regulam Auguſtini, quam ſupra recitaui, conciliatio. Nam fieri non poteſt vt Deus ſibiipſi contradicat, cum ſit ipſiſſima veritas. Si ergo in hunc modum interpreteris dicta prophetæ, non ſol-

uitur ſcriptura: Quod Deus facit docendo, aſpirando, mouendo, hoc facit homo volendo, conſentiendo, conando. Poterit & hoc modo conciliari vtrumque prophetæ dictum, ſi dixeris prius, nempe quod ex 36. cap. deſumptum eſt, ad propriam ſalutis cauſam referendum eſſe, nempe Deum, qui ſolus noſtra eſt ſalus. Poſterius autem ex 18. cap. petitum, ad aſſenſionem voluntatis pertinere, & conatum voluntarium. Similis locutio eſt in Pſal. 119. inclina cor meũ, & inclinaui cor meum. Vnde Auguſtinus, qui dixit. Inclinaui cor meum, ipſe iam dixerat, inclina cor meum in teſtimonia tua, vt intelligamus ſimul hoc eſſe & diuini muneris, & propriæ voluntatis. Nam niſi hoc ſtatuatur, nulla obedientia præſtari poteſt. Eſt enim obedientia Deo grata voluntaria, iuxta illud Pſalmi 57. 8. voluntariè ſacrificabo tibi: neque gratiæ vllus dari locus poteſt contra voluntatem. Chriſtus cum diſcipulis ait Iohan. 15. 5. ſine me nihil poteſtis facere, non adimit diſcipulis voluntatem, ſed excitat potius, videlicet vt diſcipuli ſponte ſe illi ſubmittant, in eum credant, in eoque maneant, vt aliquem fructum edant, tanquam palmites, donec in vite manſerint, quod cum faciunt, an non liberè, & non coactè hoc faciunt? ideo rectè à Bernhardo dictum puto. Deus eſt auctor ſalutis, liberum arbitrium tantum capax, nec dat illam niſi Deus, nec capere valet, niſi liberum arbitrium. Nam per conſenſum voluntarium, vt idem ſcriptor ait, diuinæ voluntati coniungimur. Et rurſus: Gratiæ operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit, etſi hoc ipſum quod conſentiat, à Deo habeat. illuſtre exemplum huius rei nobis in Paulo proponitur. is enim renatus habet rectum iudicium, habet & libertatem inclinandæ voluntatis pro arbitrio. Sed corpus mortis, vt fatetur, eſt illi impedimento, quò minus perficiat quod ex arbitrio liberè velit. Nam cũ ait Rom. 7. 20.

non

non quod volo, hoc ago, ſed quod odi hoc facio, ſignificat & iudicium rectum eſſe & voluntatem liberam, ſed impediri operis perfectionem corpore mortis, non quod nihil agat, ſed quod non poſſit perficere quod velit. Cum Paulus dicit ſe agere quod odit, non ad externas actiones pertinet, ſed ad motus illos vicioſos, quos ſubinde in ſanctis peccatum originis excitat: quos tamen ſtatim ſancti ſpiritu fidei reprimunt. Quilibet ſeipſum examinet, & exempla in ſeipſo deploret.

Summa omnium huc redit: Etſi homo renatus, impeditus corpore mortis, id eſt, peccato originis, non poteſt legi Dei perfectam obedientiam præſtare in hac vita, iuxta perfectionis gradus: tamen poteſt aliqua Deo grata facere, & debet indies magis magiſq; proficere, quod ſane poterit, modo ſibiipſi non defuerit. Ne autem quis ſibi deſit, debet quotidie eius voluntas his quaſi flabellis excitari. 1. Cogitatione mandati Dei. 2. Amore Chriſti. 3. Spiritu fidei. 4. Adoptionis dignitate. 5. Exercitiis pietatis, inuocationis, gratiarum actionis. 6. Vero timore Dei, cuius vultui apparemus ſemper. 7. Frequenti lectione, meditatione, & auditione verbi Dei. 8. Exemplis ſanctorum. 9. Præmiis. 10. Fine obedientiæ. 11. Tragicis caſibus eorum, qui à Deo defecerunt. 12. Vitæ humanæ breuitate, exituſque de hac vita incertitudine.

Horum omnium, quæ hactenus à nobis dicta ſunt de libero voluntatis arbitrio, finis ſequitur, videlicet, vt agnita infirmitate noſtra, & bonitate Dei nos ſua gratia propter Chriſtum præuenientis & adiuuantis, oblatam gratiam animo volũtario amplectamur, Dei propter Chriſtum imploremus auxilium, & firma fiducia in Chriſtum recumbamus; maneamus in ipſo, vt palmites in vite, vt ipſe in nobis maneat, ſicut in templo ſuo; petamus Spiritum ſanctum nobis dari; excitemus ſpiritum exercitiis fidei; precemur quoti-

die cum discipulis Domini: Domine adauge nobis fidem; colamus fraternam amicitiam in Christo; militemus aduersus carnem; caueamus insidias Satanæ & mundi; Deo patri per Dominum nostrum Iesum Christum agamus gratias, eum celebremus mente, lingua, confessione, & tota vita; petamus donum perseuerantiæ in recto cursu, donec ad metam peruenerimus; expectemus saluatorem nostrum Iesum Christum de cælo, qui nos trãsfigurabit, vt ipsi efficiamur conformes & corpore & anima, eique in omnem æternitatem liberrima voluntate seruiamus. Hæc donet nobis cælestis pater per & propter Dominum nostrum Iesum Christum, redemptorem vnicũ, cui cum filio & spiritu sancto æterno Deo sit gloria in omnem æternitatem. Amen, Amen.



DE POENITENTIA.

CVM de rebus, quę sermone explicantur, agitur, origo atque vsus nominum, quæ rebus explicandis seruiunt, in primis spectanda sunt. Nomina enim symbola sunt rerum significatarum. Origo nominum in hoc cõsistit, vt qualis res quæque sit, saltem in genere, indicet. Vnde Plato in Cratylo ait: Nomina ab eo rebus imponi debẽt, quod principaliter naturam & effectum earum respicit. Debet igitur natura & vis rei significatæ in ipso nomine dominari. Vsus autem vocabulorum alius atque alius est apud Autores pro artium diuersitate: nam nomina rerum sæpe sunt eadem propter aliquã similitudinem, etsi rerum discrimen sit maximum.

Tametsi autem vetus interpres vno pœnitentiæ vocabulo duo Græca, μεταμέλειαν & μετάνοιαν, reddidit:

dit: sciendum tamē est, Græca siue vim, siue vsum eorum in Nouo Testamento spectes, non idem sed diuersa significare. Quare vtile est ea cum ex origine, tum ex vsu eorum rectè discernere, quod in hunc modum fieri posse existimo.

Μεταμέλεια dicitur à μεταμελεῖσθαι, id est, post factum angi & cruciari, seu corde vri. Quare μεταμέλεια erit angor seu cruciatus in corde sequens factum quoduis, quod postquam admissum est, displicet, & cruciat animum: nec vltra vis huius vocabuli se extendit. Latinè proprio vocabulo, pœnitentia (quæ ab ipsa pœna comitante factum nomen sortita est) appellatur. De qua rectè dicitur: Pœnitentia erroris magnus gradus est ad resipiscentiam.

Μετάνοια dicitur à μετανοεῖν, id est, post factum sapere. Erit proinde μετάνοια in genere, libera voluntatis à malo, quod displicet & cruciat animum auersio, & ad bonum quod placet, tanquam ad mali remediū, conuersio.

In hanc sententiam Græcus scholiastes Aretas μετάνοιαν definit, cum ait: Μετάνοιά ἐστι μετάθεσις ἀπὸ χειρόνων καὶ μεταβολὴ ἐπὶ βέλτιον.

Vt igitur aliud est post factum quoduis angi & cruciari (idque vel ob factum ipsum, vel euentum, vel malum pœnæ propter factum, quod quis infectum esse vellet) & aliud post factum malum sapere, & medicinam vulneri quærere; ita profectò aliud est μεταμέλεια, aliud μετάνοια: quarum illa sine resipiscentia esse potest, quod multa tristia testantur exempla; hęc perpetuo resipiscentiam complectitur, vnde & nomen habet.

Porro duplex est μετάνοια, vna communis, altera euangelica. Communis est, cum quis post errorem suum & stultitiam ad se redit & sapit. Ad hanc recta ratio vndecunque instructa suadet, & hortatur, cui cum obtemperat voluntas fit μετάνοια, idque liberè, etiamsi

resipiscenti interdum nihil proderit. Huius illustre exemplum habemus in Esau. Hic reuersus ex agro famelicus, verè desipiens vilipendit ius primogeniti, atque illud vnico edulio fratri vendit. Sed postea ratione in consilium adhibita, nō solum displicet ei temerarium factum, quo animus eius cruciatur, verumetiam benedictionem, & ius primogeniti cum lacrymis, tanquam vulneri remedium petiit, sed frustrà. Benedictio enim primogeniti quam petiit, iam erat collata fratri eius Iacob. ideo autor epistolæ ad Hebręos ait: Μετανοίας locum non inuenit id est, resipiscens non accepit eam benedictionem, quam antea stultè contempserat, cum tamen μεταμελείας locū minimè quæsitum inuenerat, id quod ipsius lacrymæ testabātur. In hoc illustri exemplo clarissimè cernitur, & quid sit μετάνοια in genere, & quod eam μεταμέλεια præcedat, tanquam primus ad ipsum gradus.

Μετάνοια euangelica est, cum libera voluntatis à Diabolo & eius operibus auersio, tum eiusdem ad Deum, & obedientiam erga ipsum seria conuersio, hoc est, à rebus pessimis ad optimas mutatio. huic, si vera fuerit, semper propter constantiam Dei in suis promissis respondet euentus.

Hæc mutatio, qua auertimur à Diabolo, & cōuertimur ad Deum, cum sit vera hominis sapientia, qua insania & stultitia hominis corrigitur, merito μετάνοια dicitur: quam quidam vertunt resipiscentiam, idque, vt ego quidem iudico, rectissimè. Nam is propriè resipiscere dicitur, qui mentem suam, veluti ab insania & errore reuocat, vt porro sapiat. Sic enim Lactantius rectissimè scribit: Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam Latinè possumus resipiscētiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam, quasi ab insania recipit, quem erroris piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectiùs viuendum. Hebræis dicitur cōuersio. Quorum exemplum

plum nonulli secuti, vocem μετάνοιαν interdum conuersionis vocabulo reddunt, interdum cum veteri interprete, retinent vocem pœnitentiæ, tametsi parum aptam: angustior est enim pœnitentiæ, quam resipiscentiæ vox. Sed vicit mos loquendi, quo pœnitentiæ vocabulum ad resipiscentiam & cōuersionem accommodatur, licet impropriè.

Hæc μετάνοια euangelica, id est, resipiscentia siue conuersio (quam præcedit peccati agnitio in mente per legem acquisita, & dolor in corde ex metu pœnæ conceptus; vt a fide oritur, ita per fidem fit. à fide quidem notitiæ, qua creditur Euangelio, oritur: per fidem vero fiduciæ, qua cor ad Deum conuertitur, spe veniæ concepta propter Christum, perficitur. Cuius ϖεγκείμενα sunt consolatio cordis per Spiritum sanctum, pax cum Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, dilectio, spes, patientia, timor, &c.

Cæterum vt illu[st]re discrimen inter pœnitentiam & resipiscentiam conspiciatur, plures gradus spectandi sunt, videlicet, 1. Cognitio legis. 2. Cognitio trāsgressionis. 3. Cognitio reatus. 4. Cognitio iudicii Dei in peccatorem, id est, maledictionis æternæ, quæ est p[œ]na peccati.

Ex his in mente ordine conceptis, & in vnum cōgestis nascitur hæc propositio: Legis diuinæ transgressor reus est maledictionis æternæ. quæ propositio vt suppeditat hanc definitionem peccati: Peccatum est transgressio legis diuinę, rea maledictionis æternæ: ita fit maior in Syllogismo practico, sub qua conscientia hominis, vt accusator & testis, subsumit in hūc modum: ego sum legis diuinæ transgressor: & mox eadem vt iudex sententiam fert, inferens, ergo ego reus sum æternæ maledictionis.

Hunc Syllogismum practicum sequitur naturaliter cruciatus in corde, qui propri[e] pœnitentia dicitur & compunctio cordis, Act. ..nam Conscia mens,

vt cuique ſua eſt, ita concipit intra Pectora, pro meritis ſpemque metumque ſuis.

Hæc autem pœnitentia naturaliter in corde ſecuta ſyllogiſmum practicum, ſi non temperatur cognitione Euangelii, operatur deſperationem ad mortem & damnationem, vt in Iuda videre eſt, Matth. 27. 3. contra autem ſi acceſſerit ad eam notitia Euangelii, operatur μετάνοιαν ἀμεταμέλητον, id eſt, reſipiſcentiam non pœnitendam, ſeu conuerſionem cordis ad vitam & ſalutem, vt cauſa προκαταρκτική, non eſt propria & efficiens. Nam ex notitia Euangelii (vnde ſpes veniæ concipitur, quę eſt propria cauſa reſipiſcentiæ) accedente ad terrorem conſcientiæ, qui eſt ex lege, ſequens ſyllogiſmus practicus in mente reſipiſcentis naſcitur.

Reus æternæ maledictionis, ſi confugerit in vera fiducia ad propitiationem in Chriſto propoſitam, & ſupplex veniam petierit propter Chriſtum, recipitur in gratiam, abſoluitur à peccato, donatur iuſtitia, adoptione & vita æterna: ego ſum reus æternæ maledictionis, ſed cõfugio in vera fiducia ad propitiationem in Chriſto propoſitam, & ſupplex peto veniam propter Chriſtum: ergo ego recipior in gratiam, abſoluor à peccato, donor iuſtitia, adoptione, & vita æterna.

Hunc ſyllogiſmum practicum ſequitur in corde ingens lætitia, vera erga Deum gratitudo, amor Chriſti redemptoris, ardens ſtudium approbandi Deo totam vitam, cũ expectatione plenæ redemptionis per Chriſtum, quem expectamus venturum.

Hic ſyllogiſmus practicus, vt copioſe explicatur in Pſalmo 51. ita in hãc breuiſſimam precationem Publicani, Luc. 18. 13. includitur: Deus propitius eſto mihi peccatori. & pingitur pulcherrimè in peccatrice, Luc. 7. 38. & planè ſimilis eſt in omnibus, qui ad Deum conuertuntur.

De

De hac Euangelica resipiscentia loquitur Dominus Mat. 9. 13. cum ait: Non veni vocare iustos, sed peccatores (id est, quos peccati sui ex lege cogniti pœnitet) εἰς μετάνοιαν, id est, ad resipiscentiam. Luc. 24. 47. Oportet prædicari in nomine meo μετάνοιαν, id est, resipiscentiam, & remissionem peccatorum omnibus gentibus. Horum verborum Domini memor Petrus ait, Act. 5. 31. Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam μετάνοιαν, resipiscentiam Israeli, & remissionem peccatorum. Item, Act. 11. 18. Etiam gentibus Deus μετάνοιαν, id est, resipiscentiam dedit ad vitam.

Forma resipiscentiæ, quam posuimus, videlicet, quod oriatur ex fide notitiæ Euangelii, & fiat per fidem fiduciæ, aliâs expresse in scripturis ponitur, aliâs non expresse. Expresse Mar. 1. 15. μετανοεῖτε, id est, resipiscite, & credite Euangelio. Act. 20. 21. Testificans eam quæ erga Deum est μετάνοιαν & fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christum. Luc. 16. μετανοεῖν & πιστεύειν pro eodem ponuntur. Hinc sequitur firmissima conclusio, quod μετάνοια id est, resipiscentia sit cõuersio hominis ad Deum per fidem in Iesum Christum.

Non expresse, idque frequentius. includitur enim forma resipiscentiæ siue conuersionis in voce μετανοίας, vt Act. 2. 38. vbi compunctis corde propter peccati conscientiam, Petrus ait: μετανοήσατε, resipiscite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Iesu Christi. Luc. 13, 3. ἐὰν μὴ μετανοῆτε similiter peribitis. Luc. 15. 7. Gaudium erit in cælo super vno peccatore μετανοοῦντι, resipiscente. In his omnibus dictis voce μετανοίας requiri fidem manifestum est: nihil enim placet Deo sine fide. Quare μετανοοῦντες credunt. Per fidem enim fit conuersio, seu resipiscentia. Iam verò cum nemo negare possit fidem esse ex prędicatione Euangelii, quis negabit resipiscentiam, quæ oritur ex fide, &

fit per fidem, esse Euangelii propriam? adhæc, Baptista docebat baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum, hoc est, testabatur baptismum obsignare, vt sigillum Dei, resipiscentibus remissionem peccatorum: an non omnes fatentur baptismum μετανοίας esse sacramentum Noui Testamenti, id est, Euangelii & non legis? Necesse est igitur fateri eos rectè docere, qui definiunt Euangelium esse vniuersalem prædicationem μετανοίας, id est, resipiscentiæ, seu vt vulgo loquimur, pœnitentię, & remissionis peccatorum in nomine Christi.

Cæterum si quis exactè, vt oportet, distinguere velit, inter μεταμέλειαν, quæ est legis, & μετάνοιαν, quæ est Euangelii (quamuis vtramque vno pœnitentiæ nomine reddidit vetus interpres) deprehendet eas omnibus causis, propriis, iisque oppositis differre. Vt enim μεταμελείας, id est, pœnitentiæ, causa efficiens est notitia peccati & metus damnationis: materia, vulnus conscientiæ: forma, terror conscientiæ ex cognitione peccati & metu damnationis: finis, desperatio, mors & damnatio: ita μετανοίας, id est, resipiscentiæ, causa efficiens est notitia gratiæ, & spes veniæ: materia, remedium vulneris conscientiæ, videlicet mors Domini: forma, conuersio cordis per fidem, erigi fide, bona spe sustentari, & in fiducia mediatoris acquiescere: finis, vita & salus in Christo Iesu Domino nostro. Cum ergo pœnitentia sine notitia Euangelii oritur, ex metu pœnæ, descenditque per desperationis præcipitia in mortem æternam: contrà verò resipiscentia, seu μετάνοια oritur ex gratiæ notitia, & spe veniæ, ascenditque per fidei fastigia in vitam æternam: quis non videt, illam legis, hanc Euangelii propriam esse?

Quicunque ergo hanc definitionem Melanchthonis (quam tamen ipse ex verbis Domini, Luc. 24. 47. desumpsit) Euangelium est prædicatio pœnitentiæ & re-

& remiſſionis peccatorum, in nomine Chriſti, reprehenderit, impius calumniator eſt, præſertim ſi ſciat Philippum vocabulum pœnitentiæ, cum veteri interpretee accipere pro reſipiſcentia, ſeu conuerſione, vt ipſe fatetur in aureo ſuo ſcripto Locorum communium. Quid, inquit Auguſtinus, contentioſius, quam vbi de re conſtat, certare de nomine? Quod autem voce pœnitentiæ, etſi minus commoda, vſus ſit Melanchthon, & non conuerſionis aut reſipiſcentiæ, cauſa fuit, quod vetus interpres, tum fuerit in omnium ferè manibus, cuius auctoritas plurimi fiebat à plerisq;. Etſi autem vocem vſitatam retinet Philippus, tamen vt mederetur vitio veteris interpretis exponit in Locis, vt modo diximus, quidnam intellexerit per pœnitentiam, nempe conuerſionem, quam nemo negare poteſt euangelii eſſe propriam.

Verum quoniam Philippus Melanchthon fideliſſimus Lutheri in repurganda doctrina Euangelii ὑπερασπιστής, voluit iam ferè collapſam, & diſiectam doctrinam vitæ Chriſtianæ recolligere, & in integrum reſtituere, perpendit ſagaciſſimè, vt erat ſummus methodi artifex, quæ ordine & neceſſariò ad vitam Chriſtianam rectè inchoandam & informandã in genere ſaltem pertinerent, vnde initiũ peteretur, quod medium eſſet, quiſque finis conſtitueretur. Ad hoc ergo tam arduum opus (quod nunc poſtquam edocti ſumus ab eo, leue & facile videtur) aptiſſima vſus eſt methodo, non tam verborum, quam rerum rationem habens. Retinet autem vocabulum pœnitentiæ, per quod μετάνοιαν intelligit, atque illud ad totum veluti corpus doctrinæ vitæ Chriſtianæ accomodat. Neque tamen hoc fecit modeſtiſſimus vir, vt ipſe fatetur, vt aliis legem præſcriberet, ſed vt ipſe, quod inſtituerat, hac via commodiſſimè traderet. In hunc nimirum finem, vt hoc vno vocabulo pœnitentiæ nominato, mox animus ſimul cogitaret omnia, quæ ad

vitam Christianam rectè informandam in genere & necessario pertinent, videlicet, dolere de offensa Dei, fide ad Deum conuerti, & ex fide Deo seruire omnibus diebus vitæ nostræ. Quæ omnia in vna voce μετανοίας continentur.

Hoc ergo consilio Philippus tres pœnitentiæ partes statuit, quas vsitatè nominauit contritionem, fidem & nouam obedientiam. Harum partium prima ad secundam vrget, secunda ad tertiam. vbi enim fides, ibi nouitas vitæ. Paulus ait: dolor secundum Deũ operatur resipiscentiam ad salutem. Baptista clamat, facite fructus dignos resipiscentia. Atque ita videmus quam concinnè Philippus has partes ad rectè instituendam vitam Christianam, ordinarit. Iam has partes pœnitentiæ examinemus, easque definitionibus & exemplis declaremus.

Contritio est terror conscientiæ ex noticia peccati, & dolor cordis ex metu æternæ damnationis, ad prædicationem legis prohibentis peccatum, & damnantis omnes legis diuinæ transgressores, excitatus.

Hic dolor, qui & compunctio & pœnitentia, & contritio dicitur, est duplex, teste Paulo 2. Cor. 7. 10. nempe dolor mundi, & dolor secundum Deum.

Dolor mundi est dolor sine fide, qui in desperationem, mortem & damnationem desinit. dolor mũdi, inquit Paulus, operatur mortem. talis fuit dolor Cain, Saulis, Iudæ.

Dolor secundum Deum non solummodo is est, quo homo tristatur, quod Deum offenderit, sed etiam quo impellitur ad quærendum contra offensam Dei remedium: qualis fuit eorum, quos Petrus arguit, Act. 2. 37. qui compuncti corde dixerunt Petro, quid faciemus viri fratres? Nam propter hunc exitum dolor hic secundum Deum dicitur, vt qui placeat, & acceptus sit Deo: id quod Paulus ostendit cum

cum ait, 2. Corinth. 7. Dolor secundum Deum operatur μετάνοιαν ἀμεταμέλητον (id est non pœnitendam) in salutem. Iudas quidem doluit, quod Deum offenderat, sed quia non quæsiuit remedium contra offensam Dei, per veram ad Deum conuersionem, eius dolor non fuit secundum Deum, id est, Deo non placuit. Petrus doluit se Deum offendisse, & dolore impulsus, spe veniæ concepta, quæsiuit per veram resipiscentiam remedium contra offensam Dei, ideo eius dolor secundum Deum erat, id est, acceptus erat Deo.

Breuiter dolor cui fides non accedit, est dolor mundi, iusta pœna & testimonium conscientiæ de Dei iudicio in peccatores. Sed cùm temperatur fide, qualitatem nouam acquirit, & dicitur dolor secundum Deum, fitque sacrificium Deo gratissimum, iuxta Psal. 51. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Esaiæ 66. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperem & contritum spiritum, & trementem ad sermones meos. Atque ita dolor ob peccatum consideratur dupliciter, videlicet vt est sine noticia euangelii, qua ratione ad legem tantum pertinet; &, vt cum noticia euangelii coniungitur. Quo respectu propter nouam formam, quam ab Euangelio mutuatur, Euangelicus & salutaris rectè denominatur. Hunc ergo dolorem requirit Euangelium, vt partem μετανοίας. Cedit enim in vitam & salutem.

Fides secunda pœnitentiæ pars, à qua oritur, & per quam fit conuersio, est noticia misericordiæ Dei propter Christum in mente, & firma fiducia in corde, accensa per vocem euangelii, in qua spiritus sanctus est efficax ad flectendam voluntatem, vt libera & voluntaria sit conuersio. Nemo enim inuitus credit, nemo violenter trahitur ad fidem, quæ nisi voluntaria fuerit, fides non est. Hac fide iustificamur: hac fi-

de adoptamur in filios Dei: hac fide ſcribimur hæredes vitæ æternæ. Huius teſtimonia, pignora, & ſigilla ſunt, externa quidem baptiſmus & cœna Domini; internum vero ſpiritus ſanctus, qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro quod ſumus filii Dei. Hæc fides habet ſua incrementa. Nam fides quæ indies augmentum non recipit, decreſcit, & paulatim extinguitur. Bernhardus eam confert diei. Sicuti enim dies creſcit per horas, ſic fides augetur per illuminationem gratiæ diuinæ. Hæc diuina gratia augetur aſſiduis precationibus, aliisque pietatis exercitiis. Sunt qui fidem comparant ætatibus hominis, videlicet, infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, virili ætati, & perfectæ. Infantia fidei eſt ὀλιγοπιστία, quam filius Dei in ſuis diſcipulis reprehendit quidem, ſed non abiicit ὀλιγόπιστους. Pueritia fidei eſt πεποίθησις, cum fides nonnihil creuit. Adoleſcentia fidei eſt παῤῥησία, cum fides multum roboris & audaciæ acquiſiuit. Virilis ætas fidei eſt ὑπόστασις, quæ eſt conſtans animi robur, quo luctetur contra omnia Chriſtianum animum oppugnantia. Perfecta ætas fidei eſt πληροφορία. hæc eſt pleniſſima fiducia, quæ nullis perſecutionum procellis frangitur, ſed rectâ in mediis perſecutionum & tentationum tempeſtatibus, quaſi pleno velo in portum fertur. Hæc adieci vt admoneamur, quod non ſatis ſit fidem ſemel concepiſſe. nam ſi non augetur quotidiana acceſſione, idq; per meditationem, lectionem ſacræ ſcripturę. per ardentem inuocationem, per patientiam, & alia pietatis exercitia, facillimè extinguitur, & in eius locum ſuccedit hypocriſis, quam excipit vanitas in vita & moribus.

Tertia pœnitentiæ pars eſt nouitas vitæ ſeu noua obedientia, quæ immediatè fidem, per quam fit conuerſio, ſequitur. Hæc nouitas vt conſiſtit in iuſticia & ſanctitate vera, ita ſalutis per Chriſtum adeptæ, teſtimonium infallibile eſt. Huc pertinet exhortatio

Petri

Petri 2. Pet. 1. 10. Quapropter fratres magis ſtudete vocationem & electionem veſtram firmam facere. Et Paulus optat Philippenſibus 1. 9. vt abundent in cognitione, ac omni ſenſu, vt probent quæ ſunt præſtantiora, vt ſint ſinceri, & ſine offenſa in diem Ieſu Chriſti, pleni fructibus iuſticiæ ad gloriam & laudem Dei.

Hæc vitæ nouitas vocatur etiam à Paulo ſanctificatio Rom. 6. 19. verum quia ſanctificatio opponitur peccato, & in peccato ſunt duo, videlicet formale & materiale, duplex erit ſanctificatio, vna, quæ formali peccati, id eſt, reatui opponitur, quæ eſt expiatio peccati per Chriſti ſanguinem, altera quæ materiali peccati, id eſt, vitio opponitur (de qua nobis hic potiſſimum ſermo eſt) & rectè definitur ſegregatio hominis à prophanitate gentium per mortificationem carnis, & coniunctio eiuſdem cum Deo per viuificationem ſpiritus.

Huius ergo ſanctificationis duæ ſunt partes, videlicet, mortificatio & viuificatio, illa morimur quotidie peccato magis magiſque: hac viuimus iuſticiæ, & conamur vt indies maiora incrementa nouitatis & pietatis acquiramus. Vt autem mortificatio carnis manat ex virtute mortis Chriſti: ita viuificatio ſpiritus ex eiusdem reſurrectione venit: vtriusque ſymbolum eſt baptiſmus, Rom. 6, 3. 4.

Hanc mortificationem & viuificationem quidam partes pœnitentiæ ſanctorum, quæ perpetua in hac vita eſſe debet, faciunt, idque rectè. fieri enim non poteſt, vt vera fides ſit ſine ſuis naturalibus proprietatibus, quæ ſunt mortificatio & viuificatio. Vt enim ſæpe labimur, propter carnis noſtræ infirmitatem, ita oportet reſurgere iterum per viuificationem ſpiritus, mortificato peccato. Mortificationis enim proprium eſt odiſſe peccatum, idque fugere. Viuificationis autem, ſanctitati iuſticiæque ſtudere. Ob hanc

causam & propter hanc necessariam copulam fidei, & nouitatis vitę, Philippus fidei nouam obedientiam adiunxit, tanquam eius indiuiduum comitem: idque ideo fidus ille doctor ecclesiæ fecit, ne quis vmbram pro corpore stultè, somnium fidei pro vera & viua fide amplectatur.

Hæc cum ita sint, vt expositum est, & verbo Dei luculentè demonstratum: facile intelligi potest, quidnam respondendum sit iis, qui contendunt ex lege simpliciter prædicandā esse pœnitentiam, non quod, vt opinor, sic sentiant, sed vt aliquid fucatè dicant, quo præceptoris sui famam & auctoritatem minuāt. Nam si pœnitentiæ vocabulum pro pœnitudine facti, seu contritione sine fide accipiunt, illorum sententia vera est, nunquam à Philippo improbata, sed potius fidelissimè tradita. Omnes enim causæ huius pœnitentiæ ad legem pertinent, vt supra ostendimus. Efficiens enim eius est agnitio peccati & metus æternæ damnationis, iuxta illud Rom. 3. 20. Per legem est agnitio peccati. Materia, ipsum peccatum per legem reuelatum, seu vulnus conscientiæ. Forma est, cruciari & paulatim ad desperationē adigi, vt videre est in Cain & Iuda. Finis est, mors & damnatio, quam lex minatur transgressoribus, iuxta illud, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Atque hanc sententiam Lutherus vnâ cum Philippo contra Antinomos disputantes forti animo ex scripturis defendunt. Antinomi enim nullum locum legi Dei reliquerunt in ecclesia. At si pœnitentiam accipis, quatenus temperatur fide Euangelii, & operatur μετάνοιαν in salutem 2. Corinth. 7. 10. & quæ à Dauide sacrificium Deo gratissimum pronunciatur, non prius credam eam ad legem referendam esse, quam persuasus fuero fidem esse ex lege. Tametsi enim cognitio peccati verè est ex lege, tamen hoc habet ex Euangelii noticia, quod hominem adigat

adigat ad Chriſtum, vnicum peccati medicum. Ad hæc, ſi pœnitentiam accipis pro μετανοία, prout accipitur in hac definitione Euangelii (Euangelium eſt prædicatio pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti) eam omninò ex Euãgelio, & nullo modo ex lege eſſe fatendum eſt. omnes enim huius cauſæ, quod etiam ſupra indicauimus, ad euangelium pertinent. Nam efficiens eius cauſa proxima, eſt agnitio miſericordiæ & ſpes veniæ, iuxta illud Matth. 3. 2. μετανοεῖτε: appropinquat enim regnum cælorum. Materia, remedium vulneris cruciantis, videlicet meritum Chriſti, iuxta illud Iohan, 1. 29. agnus Dei tollit peccata mundi. Forma, fide ad Deum conuerti. Finis, vita & ſalus in Chriſto. Quis, quæſo, ita inſanit, vt has cauſas non ſubiiciat euangelio? Secundam partem, nempe fidem, omnes vnanimiter ad euangelium referunt.

Tertia pars quo ad materiam, legi; quo ad formam, Euangelio ſubiicitur. Nulla enim obedientia ſine fide Deo placet. Etſi ergo lex requirit obedientiam erga Deum, & monſtrat quid ſequendum quidque fugiendum ſit: tamen hanc obedientiam nemo vel inchoare poterit ſine fide. Quare meritò nouitas vitæ ad Euangelium pertinet. Atque ita vtraque doctrina videlicet legis & euangelii in eccleſia eſt neceſſaria. ſed inter officia vtriuſque diligenter diſcernendum eſt, & teneatur verum diſcrimen inter legem & euangelium. Proinde docendi cauſa nihil erit vtilius, quam docere pœnitentiam ſalutarem, qualis Petri fuit, totam eſſe ex euangelio: ducentem vero ad mortem, qualis fuit Iudæ, totam ad legem referendam eſſe.

Cum igitur Philippus ſcribit, euangelium eſſe prędicationem pœnitentiæ, ex cap. 24. 46. Luc. pœnitentiæ vocabulum, cum veteri interprete pro reſipiſcentia accipiens, propriè cum ſcriptura loquitur. Qui-

cunque igitur ſine calumnia iudicare, non abreptus affectuum tempeſtatibus, didicit, facile intelliget Philippi mentem, & conſilium eius probabit, qui & euangelio quod eius eſt proprium tribuit, & quæ neceſſariò in vera conuerſione ad Deum concurrunt, indicat.

Quidam etiam in partium enumeratione reprehendunt, quod Philippus tres, Lutherus autem duas tantum pœnitentię partes ponat, videlicet contritionem & fidem, quaſi peccatum eſſet id explicatè dici à Philippo, quod Lutherus implicite dixit. Abſq; enim omni dubio Lutherus fidem intellexit, cum ſua naturali proprietate, quæ eſt nouitas vitæ in Chriſto Ieſu, quam Philippus ideo expreſſit, ne quis, vt ſupra monuimus, ſe ſpectro fidei falleret, ſicut multi faciunt.

Quam autem neceſſaria ſit hæc noua obedientia, multa ſcripturæ dicta indicāt. Chriſtus ait Ioh. 13. 36. in hoc cognoſcent vos eſſe meos diſcipulos, ſi dilexeritis vos inuicem, ſicut ego dilexi vos. item, Matth. 7. 17. Bona arbor bonos fructus, mala autē putres facit. Paulus Rom. 6. 1. finem iuſtificationis hominis facit nouitatem vitæ, quod ſymbolo baptiſmi confirmat, Rom. 6. 1. 2. Et Iacob' vanā gloriationē eſſe monet, ſi quis gloriatur de fide, ſine obedientia erga Deū. item, Abraham non ſolum fide, verumetiā obedientia obligatus eſt Deo. ita enim ait dominus Gen. 17. 1. Ambula coram me, & eſto perfectus, id eſt ſincerus, ſcilicet fide & noua obedientia. Paulus quoq; dicit filios Dei eſſe, qui ſpiritu Dei aguntur, Rom. 8. 14. Nemini ergo dubium eſſe poteſt, quin Philippi enumeratio plenior ſit quam Lutheri, & magis ad docendum accommodata.

Hæc ſic dicta ſint de pœnitentia Chriſtiana, & eius partibus, quæ cum ſint ex verbo Dei extructa, non curemus illorum argutias, qui argute diſputandi potius, quam pie viuendi laudem quærunt.

DE

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO, & de eius infallibili nota.

IN doctrina iustificationis hominis coram Deo, ex qua rectè cognita tota nostra salus dependet, tria in primis spectanda sunt:

Primum, quid sit quo homo iustificetur.
Secundum, quo medio obtineatur.
Tertium, quibus argumentis eius possessio demonstretur.

DE PRIMO.

Iustitia, quam Deus vt regulam vitæ præsentis, & viam vitæ æternæ requirit, & approbat, absque omni dubio est ea sola, ad quam homo conditus est, cuiusq; normam postea Deus ipse in sua lege homini præscribit, videlicet conformitas hominis cũ Deo, seu quod idem est, perfecta & absoluta hominis erga Deum obedientia, iuxta ipsius legem. Nam ideo Deus suam legem dedit, vt ea sit vnica & perpetua iustitiæ (quæ est via vitæ æternæ) norma. Sic enim Moses ait Deut. 27.26. Qui fecerit ea homo viuet in eis. Et cum Dominus apud Matthæum dicit, Mat. 19.17. Si vis in vitam ingredi, serua mandata, definit iustitiam, quæ est via vitæ æternæ, esse obseruationem mandatorũ Dei, hoc est, perfectam obedientiam erga Deum, iuxta ipsius legem. Ad hanc enim obedientiam Deus hominem condidit. Nam imago Dei, ad quam homo conditus est, in iustitia & sanctitate vera consistit, vt Paulus docet Eph. 4.24. Hanc iustitiam & sanctitatem veram Dominus ad duo capita tanquam eius partes,

tes, nempe ad dilectionem Dei, & ad dilectionẽ proximi, reuocat. Quæ capita (vt accommodantur præsenti vitæ) distinctius & veluti per exempla in decalogo digito Dei, in tabulis lapideis (quo symbolo significatur duratio & discrimen inter hanc legem & ceremonias) scripto explicantur: & copiose declarantur passim in Propheticis & Apostolicis scriptis, additis promissionibus, si quis obtemperet, & comminicationibus, si quis non pareat. Quicunque ergo colere Deum decreuerunt, non alia opera quærant, quã quæ in decalogo, æterna lege Dei, signata sunt, & ex primis capitibus legis recte concluduntur. Lex proinde Dei seu decalogus, est norma iustitiæ, & via vitæ æternæ, cuius perfectione seu impletione iustificatur, quicunque iustificatur ad vitam. Nam vt sola iniustitia seu peccatum est via mortis æternæ: ita sola iustitia, eaque perfecta & partibus & gradibus, est via vitæ æternæ. Partibus quidem dico, vt nulla pars legis omittatur. Gradibus verò, vt obedientia omnium partium sit omnibus gradibus absoluta, adeò vt nullus sit planè defectus in vlla legis parte. Hac ergo iustitia qui caret, spe vitæ æternæ excidunt. Hinc euidenter concluditur, quod iustificatio hominis sit impletio legis diuinæ, eaque perfecta, & partibus & gradibus. Quantum autem ad futuram vitam attinet, in qua vsus huius vitæ cessabit, non est dubium, quin eadem iustitia, ad quam homo conditus est, quamque Deus postea populo Israelitico cõmendauit, sit mansura, quantum quidem ad genus attinet. erimus enim conformes Christo capiti nostro, in omnem æternitatem, in iustitia & sanctitate vera. Nam reparata in nobis perfectè imagine Dei, futurum est quod Iohannes ait, 1. Ioh. 3. 2. Scimus autem quod cum ipse apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.

De Secvndo.

Hactenus quid ſit, quo iuſtificamur, quidque ſit iuſtificatio, dictum eſt nunc quomodo id conſequamur, hoc eſt, quomodo perfectam & abſolutam obedieñtiam erga Deum iuxta ipſius legem obtineamus, vt Deo conformes ſimus, in omni iuſtitia & ſanctitate, quæritur: prę́ſertim cum ſcriptura paſſim teſtetur, neminem mortalium poſſe legem Dei implere. Omnes declinauerunt (ait poſt Dauidem Paulus) & inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, nec vnus quidem. Hoc quam verum ſit, conuincit vniuerſalis omnium hominum experientia, vt interim taceam, non ſolum legis naturam, quæ ſpiritualis eſt, aduerſari naturæ noſtræ, quę eſt carnalis, Rom. 7. 14. verum etiam pœnas, quibus vniuerſum genus humanum, propter tranſgreſſionem legis diuinæ, ſubiectum eſt, Quomodo igitur fieri poteſt, vt quiſquam inueniatur, cum omnes ſimus immundi, qui conſiſtat coram tribunali Dei, fretus iuſtitia quam non habet? Veriſſimum eſt, & extra omnem controuerſiam apud omnes recte ſentiētes poſitum, quod ſola perfecta obedientia erga legem Dei ſit iuſtitia illa, quæ eſt via vitæ æternæ, quemadmodum ſupra clariſſimè probatum eſt, Quicunque ergo hanc perfectam obedientiam non adfert ad tribunal Dei, extra viam vitæ æternæ eſt. Aut ergo hanc perfectam obedientiam adferre oportet, aut omninò pereundum erit, idque iuſtiſſimo Dei iudicio. Quæritur proinde, qua ratione hęc perfecta obedientia erga Deum iuxta ipſius legem, hoc eſt, quomodo iuſtitia, quam & lex & Euangelium poſtulat, obtineri poſſit.

Sciendum eſt, quod duplex ſit modus obtinendæ huius iuſtitiæ coram Deo: quorum vnum Lex, alterum Euangelium monſtrat. Nam vtraque doctrina, lex & Euangelium, eandem iuſtitiam exigit. Modus

obtinendæ iuſtitiæ ex legis ſententia, eſt, vt Moſes definit, factis legem implere, iuxta illud Leuit. 18.5. Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Quod autē hic modus obtinendæ iuſtitiæ, plane ſit homini impoſſibilis, iam dictum eſt, & Paulus Roman. 1.2.3. ex profeſſo idem firmiſſimis rationibus conuincit. Alter modus obtinendi iuſtitiam, id eſt, perfectam legis obedientiam, quæ eſt via vitæ æternæ, reuelatur nobis in Euangelio. Nam cum Deus videret noſtram miſeriam, amiſſa per lapſum primorum parentum imagine Dei, ad quam perpetuo geſtandam conditi eramus, & cerneret noſtram infirmitatem ad præſtandam legem, miſertus eſt ſortis humani generis, & ei ſuccurrere decreuit: ita tamen ne diſcederet à norma ſuæ iuſtitiæ, quam ſemel ſanxerat, nunquam abolendam. Deus igitur ineffabili miſericordia & amore erga genus humanum motus, miſit filium ſuum in mundum, vt homo fieret, impleret legem, eamq; impletionem nobis imputaret, vt ea donati iuſti appareamus in conſpectu Dei, non ſecus atque ſi nosipſi noſtra obedientia legem impleuiſſemus. Atque ita ſtat norma iuſtitiæ diuinæ immota, quæ vnica eſt via vitæ æternæ. Cū igitur nobis aſcribitur obedientia Chriſti, qua ipſe legem Dei impleuit, iuſti reputamur coram Deo: ex quo fit, vt iam in via inſiſtamus, quæ rectâ in poſſeſſionem vitæ æternæ nos adducit: neque enim iam lex conqueri poteſt. Habemus enim quod lex requirit, nempe integram legis impletionem, hoc eſt, iuſtitiā, quæ eſt via vitæ æternæ, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Huc facit dictum Domini, Iohan. 14, Ego ſum VIA, ET VERITAS, ET VITA. Horum verborum ſenſus veriſſimus hic eſſe videtur.

Ego ſum VIA, hoc eſt, Ego ſcilicet viuens in hac terra, iuſtè viuendi regula ſum, idq; doctrina & exemplo. Nam verſatus in terra vltra 33. annos, & docui iuſtitiam, & me formam iuſtitiæ exhibui. Inſuper etiam iuſtitiam

iuſtitiam meam, qua ego legem Dei impleui, cōmunico in me credētibus, vt dono gratuito habeāt, quod factis propriis obtinere non valuerūt. Hinc eſt quod qui hac mea iuſtitia donatur, in via vitæ æternæ ambulet.

Ego ſum VERITAS, ſcilicet moriens in cruce. Nā mors mea ſacrificium eſt rerum, quo verè tollitur peccatum, quod vmbræ legales tollere nequiuerunt. Vt ergo Aaron ſacrificans fuit vmbra, ita ego me offerens in cruce ſum Veritas.

Ego ſum VITA, ſcilicet reſurgens à morte, hoc eſt, ſum autor & donator vitæ, cum nouæ in renatis, tum æternæ in beatis, quam vitam omnes iuſtificati mea iuſtitia, & purgati meo ſanguine gratis obtinebunt. Vide quam mirando compendio Dominus beneficia ſua erga eccleſiam complectitur. Hic itaque videmus ſummum conſenſum legis & Euangelii. Vtraq; enim doctrina eandem normam iuſtitiæ tradit: vtraq; eandem iuſtitiam, viam vitæ æternæ vnicā, poſtulat. Sed in modo obtinendi hanc ipſam iuſtitiam, maximum eſt legis & Euangelii diſcrimen, quoniam lex ſeuerè poſtulat, vt aut ſoluas quod iure debes, aut pœnas merítas ſuſtineas: Euangelinm autem offert tibi gratis, quod debes, vt habeas verè ex dono Dei, ex gratia Chriſti imputantis tibi ſuam iuſtitiam, quod habere ex tuis factis & merito tuo non potuiſti.

Quomodo, inquies, hæc iuſtitia Chriſti, quæ eſt via ad vitam æternam obtineri, vt noſtra fiat, poterit? breuiſſimè & clariſſimè reſpondeo. Sola fide. Sic enim Paulus diſertè docet, Rom. 3. 28. Iuſtificamur, inquit, fide abſque operibus, id eſt, credentes iuſti ſumus non operibus noſtris, ſed operibus Chriſti, quem fide apprehendimus. Iuſtificamur autem fide, non quod fides ea res ſit, qua iuſti ſumus, ſed quia eſt inſtrumentum, quo Chriſtum apprehendimus & complectimur. Nā ex notitia miſericordiæ in Chri-

ſto,& propter Chriſtum, concipitur in nobis fiducia, qua in Chriſtum recumbimus, eumque poſſidemus, vt noſter ſit: quod cum ſit, ſimul iuſtitia Chriſti donamur, quæ iuſtitia cum nobis credentibus imputatur, iuſtificamur, ſeu iuſti reputamur. Sic enim Rom. 5. 19. de iuſtitia ſcriptum eſt: Sicut vnius (Adæ) inobedientia multi conſtituti ſunt peccatores: ita vnius (Chriſti) obedientia multi conſtituentur iuſti. Ecce quam perſpicuis verbis Apoſtolus definit iuſtitiam illam, qua cõſiſtimus coram Deo, nempe obedientiam Chriſti, qua ipſe legem Dei perfectè impleuit, non pro ſe, ſed pro nobis ominibus, quibus datus eſt, vt ſit iuſtificator noſter. Iuſtificamur igitur perfectione legis, non quidem à nobis facta, ſed nobis credentibus, vt membris Chriſti, donata & imputata. In hoc Pauli dicto diligenter obſeruanda eſt collatio Adæ & Chriſti, quorum ille ſua iniuſtitia poſteros ſuos maculauit, & in mortem coniecit: hic ſua iuſticia homines ornat, iiſque vitam comparat æternam. Quod autem ita fieri requirebat iuſtitia diuina, infrà dicemus. Rom. 10. 4. Chriſtus eſt impletio legis in iuſtitiam omni credenti, hoc eſt, Chriſtus impleuit legem, vt eadem impletione, qua ipſe legem impleuit, omnis qui credit, iuſtus ſit, & cenſeatur, ac ſi ipſe ſuis factis legẽ impleuiſſet. Chriſtus enim ſuam obedientiam erga legem Dei, omni credenti imputat. Quid quæſo hoc Pauli dicto clarius eſſe poterit? vtrunque diſertè exprimit, nimirum & quid ſit id quo iuſtificamur, videlicet legis impletio, & quomodo eã legis impletionem obtineamus, nempe fide. His cõgruit & illud Pauli, Rom. 4. 5. Ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum; at ei qui non operatur, ſed credit in eum, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius in iuſtitiam. In hunc modum intelligẽda ſunt & alia ſcripturæ dicta, quę de iuſtitia Chriſtiana concionantur, quorum alia
aliis

aliis clariora sunt; sed obscuriora, & breuius dicta lucem à clarioribus & plenius dictis mutuabuntur. Gen.15.6.Rom.4.Gal.3.6. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam, id est, Abraham credens promissioni misericordiæ, propter semen promissum, iustus pronunciatur à Deo, idq; iustitia Messiæ promissi sibi imputata. Neque enim aliter Abraham quam nos iustificatus esse putandus est. Hoc saltem est discriminis, Abraham in promissum, nos in exhibitum Christum credimus. Abac.2.4. Roman.1. 17.Gal.3.11. Iustus ex fide viuet. In quo dicto breuissimo notandum est, quod, iustus ex fide, sit subiectum; viuet, prędicatum. Sensus ergo est, quod omnis qui credit, habeat eam iustitiam sibi imputatam, quæ est via vitæ æternæ in Christo Iesu. In his & similibus dictis, iustitia (vt iam sæpe diximus) non est obediētia erga legem Dei à nobis facta, sed est obedientia Christi, quæ cum credentibus imputatur, iustificantur. Nec fides est ipsa iustitia, vt supra quoque indicauimus, sed instrumētum solummodo, quo Christum apprehendimus, cuius iustitia nobis imputata iusti cēsemur coram Deo, vt qui ipsius iustitia vestiti prodeamus in conspectum Dei, iuxta dictum Pauli, Roman.5.1. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus cum Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum obtinuimus fide in gratiam hanc, in qua stamus.

Si quis ergo interrogat, quidnam sit illa iustitia, qua credens iustificatur? responde: est obedientia erga legem Dei omnibus numeris & gradibus perfecta, non à credēte, sed à Christo facta, & credenti imputata. Atque hoc est quod Paulus vult, cum Rom.3. ait: Legem stabilimus per fidem. Nam qui credit in Christum, iustitiam habet legis, non quidem à se factam, sed à Christo, & sibi imputatam, qua legi Dei satisfactum est.

Porro quoniam hæc iuſtitia, de qua modo agimus, homini imputari non poteſt, niſi prius à iure peccati exemptus fuerit homo (nulla enim eſt conuentio iuſtitiæ & iniuſtitiæ) Chriſto imputatum eſt noſtrum peccatum, pro quo & pœnas luit. Factus eſt enim λύτρον & propitiator pro peccatis mundi. Sic enim Paulus 2. Cor. 5. 21. ait: Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in illo, hoc eſt, Chriſtus ab omni peccato purus & immunis, factus eſt & peccator (imputato ipſi peccato mundi) & hoſtia pro peccato in ara crucis, vt locus ſit iuſtitiæ Chriſti, cuius imputatione credentes iuſtificantur. Vt ergo Chriſtus fuit imputatione peccator, ita nos imputatione iuſti ſumus. Vocat autē hic Paulus iuſtitiam fidei, Dei iuſtitiam, cum quia ipſe miſit filium iuſtificatorem, tum quia approbat iuſtitiam Chriſti, credentibus imputatam. Rom. 8. 3. Pro peccato damnauit peccatum in carne, vt ius legis impleretur in nobis. Pro peccato, id eſt, propter peccatum, id eſt, hoſtiam pro peccato; damnauit, id eſt, interfecit & aboleuit; in carne, hoc eſt, in humana natura; peccatum, hoc eſt, ius peccati, vt ius legis impleretur in nobis. hoc eſt, vt obedientia Chriſti, qua ipſe legem impleuit, nobis imputata iuſtificemur, à iure legis exempti, ne videlicet amplius condemnet nos lex, tanquam reos & peccatores. Eſt enim legis ſententiæ ſatisfactum per mortem Chriſti. Ideo Paulus Rom. 8. 1. ait: Nulla condemnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Ioh. 1. 29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. 1. Tim. 2. 5. Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus. Quid pergo plura cumulare teſtimonia, cum in ſcripturis non ſæpius dicta, ſed tātum dicta ſufficiant? Summa eorum, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, hæc eſt: Deus iuxta vocem Euangelii iuſtificat nos, quādo intercedente ſacerdote Chriſto,

sto, hominem credentem à reatu peccati absoluit, propter λύτρον à sacerdote Christo solutum, & pronunciat iustum, propter iustitiam Christi ipsi imputatam, denique vitæ æternæ vt filium dilectum in dilecto gratis propter Christum adiudicat. Ex his facillimum fuerit definitionem iustificationis coram Deo extruere in hunc modum.

Iustificatio hominis coram Deo, de qua concionatur euangelium, est, credentis in Christum absolutio à peccato propter mortem Christi, imputatio iusticiæ Christi, & adoptio, acceptatioque iustificati ad vitam æternam gratis propter Christum.

Hæc definitio labefactari non potest. pendet enim ex scripturæ testimoniis immotis, tanquam ex infallibilibus principiis. Quare meritò apud pias mentes maiorem meretur fidem, quam vlla philosophica ἀπόδειξις. Quapropter contra hanc veritatem euidentissimè demonstratam nullis sophismatis aut opinionibus demonstratæ veritati aduersantibus cedendum est.

Hìc insurgit ratio, etiam in sanctis, & quærit: quomodo potest vnius hominis passio & mors sufficere tot myriadum hominum peccatis & flagitiis abolendis? Quomodo potest vnius hominis iusticia satis esse omnibus temporibus inde ab initio mundi, vsque ad finem ad iustificandum omnes credentes? Si esset puri hominis passio & mors, profectò, ne ei quidem, qui pateretur, sufficeret. Si esset puri hominis iusticia, profectò se non ad plures extenderet, quam ad eum, in quo deprehenderetur. At nunc est passio personæ, quæ est verus Deus, & verus homo, est iusticia personæ, quæ est verus Deus & verus homo. Quia ergo persona infinita est, est & passio & iusticia eius infiniti precii & valoris, vt facilè sufficiat omnib⁹, qui Christi membra efficiuntur per fidem. Et tametsi passio & mors est humanæ naturæ tantum, & non diuinæ (di-

uinitas enim pati non poteſt) tamen ἀποτέλεσμα ipſum eſt perſonæ totius, Dei & hominis. Nam Deus & homo paſſus eſt, etſi in ea tantum natura, quæ pati poterat. ad eundem modum, tametſi obedientia Chriſti, qua legem impleuit erat humanæ naturæ: tamen quia iuncta eſt humana natura diuinæ, in vnitate perſonæ, iuſticia hæc toti perſonæ aſcribitur, qua Deus & homo, vna perſona, legem Dei impleuit. Eſt ergo Chriſti paſſio ſufficiens λύτρον pro peccatis totius mundi. Et Chriſti obedientia ſufficiens iuſticia omnium credentium: quia eſt paſſio & iuſticia hominis qui eſt Deus. ob eam ſiquidem cauſam filius Dei factus eſt homo, vt ipſe Deus & homo vna perſona poſſet eſſe ſacerdos æternus, perfectus propiciator, perfectus iuſtificator, atque adeo perfectus redemptor omnium in ſe credentium.

Eſt & alia quæſtio, quæ ſæpe infirmorum mentes perturbat, hæc videlicet, cum Deus ſit omnipotens, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere, quin facere poſſit quicquid velit (Ipſius enim velle eſt facere) cur non alio modo liberauit hominem à peccato, morte, & damnatione, quam per mortem filii ſui, eamque ignominioſiſſimam nempe crucis? cur non potius reliquit hominem ſub peccato, morte, & damnatione, quam eum tanta ignominia filii redimeret? Reſpondeo. Cum Dei voluntas ſit iuſta, & potentia iuſta, non voluit, nec potuit Deus alia ratione liberare hominem, quam iuſtiſſima. Deinde cum ſit bonus & miſericors, non potuit non ſuccurrere ſuæ creaturæ à diabolo ſeductæ, quam condiderat ad imaginem ſuam. Deus itaque motus miſeria generis humani, ſua ſapientia eam liberandi genus humanum rationem elegit, quæ eſſet & iuſtiſſima, & conuenientiſſima, ad ipſius ſapientiam, potentiam, iuſticiam, miſericordiam prædicandam ab omnibus angelis, & electis Dei in omnem æternitatem. ideo nato Chriſto in

Beth-

Bethlehem, angeli canunt: Gloria in excelsis Deo, in terra pax, hominibus εὐδοκία.

Quod autem iustissima & conuenientissima ratio fuerit per filium hominem factum liberare genus humanum à peccato, morte & damnatione, ipsumque donare iusticia, vita & salute æterna, docet Paulus Rom. 5. 12. Quemadmodum, inquit, per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors. item, Si vnius lapsu multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia, quæ est, vnius hominis Iesu Christi, in multos superabundauit. item, Si enim vnius delicto mors regnauit per vnũ, multò magis, qui abundãtiam gratię, & donũ iusticię accipiũt, in vita regnabũt per vnũ Iesum Christũ. ergo sicut per vnius lapsum (iudiciũ fuit) in omnes homines, in condemnationẽ; sic & per vnius iustitiã in omnes homines (donum venit) in iustificationem. item, Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, sic & per obedientiam vnius, iusti constituentur multi. 1. Corinth. 15. 21. per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum in Adam omnes mortui sunt, sic & in Christo omnes viuificabuntur. In his dictis Pauli ostenditur, quod hoc maximè congruerit iusticiæ diuinæ, vt quemadmodum vnus in genere humano fuerit aliis auctor peccati, mortis & damnationis, ita vicissim vnus in genere humano fieret aliis causa iusticiæ, vitæ & salutis, abolito per eum peccato, morte, & damnatione. Præterea conueniebat iusticiæ diuinæ, vt quemadmodum peccatum res erat turpissima, summeque abominabilis, ita etiam pœna, qua expiaretur peccatum debuit esse ignominiosissima & maximè abominabilis, & probrosissima, qualis erat apud Iudæos in crucem suspendi: idque sententia Dei, qui dixit, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Atque ita Christus factus est execratio, vt nos in illo

fieremus benedictio. Hac ſola ratione ſatisfieri potuit iuſticiæ diuinæ, quo locus fieret miſericordiæ. quod autem homo auctor vitæ, iuſticiæ & ſalutis, debuerit etiam eſſe Deus, neceſſe erat: ſiquidem nulla creatura nuda potuit ſuperare diabolum, delere peccatum, placare iram Dei, dare vitam æternam, exaudire gemitus cordium. Quare neceſſe erat, vt hic homo eſſet etiam Deus; homo quidem, vt deberet; Deus verò, vt poſſet; Deus & homo ſimul, vt mediator Dei & hominum eſſet vnus Chriſtus. Hoc myſterium ſalutis noſtræ gratis animis cogitemus. agnoſcamus magnitudinem amoris Dei patris erga genus humanum, qui ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. agnoſcamus ingentem amorem filii, qui voluit iram patris in ſe deriuare, & pœnas pro peccatis noſtris ſuſtinere potius, quam vt nos periremus. imploremus opem ſpiritus ſancti, vt nos ſanctificet, & conſeruet in Chriſto, in laudem & gloriam Dei patris.

DE TERTIO.

Quæ hactenus à nobis dicta ſunt de iuſtificatione hominis coram Deo, ferè ad γνῶσιν pertinent. informant enim mentem, vt rectè de iuſtificationis doctrina iudicet. Verum etſi hæc doctrina omnem ſapientiam omnium Philoſophorum longiſſimè ſuperat, nec eſt nota niſi ſoli eccleſiæ: tamen eſt omnino ἄπρακτος, & mortua litera, niſi acceſſerit αἴσθησις, qua non ſolum ſentitur in corde huius doctrinæ ſuauitas, (ex ea enim verè intelligi poteſt, quam ſuauis ſit Dominus, & beatus omnis qui ſperat in eo) verumetiam in tota vita & moribus vis & efficacitas iuſtificationis lucet, & ex fructibus agnoſcitur, iuxta illud, bona arbor facit fructum bonum: nequaquam enim iuſtificati fide eſſe putandi ſunt, Chriſti iuſticia ſibi imputa-

ta,

ta, qui fidem quidem Christianam ore & professione iactant, & interim vitam viuunt prophanam, sceleratam: quales proh dolor, multi sunt in hac delira mundi senecta. Idcirco verè Christianos abundare vtraq; virtute, videlicet γνώσις & αἰσθήσις, id est, cognitione & sensu oportet, vt sint sinceri ἀπρόσκοποι in diem Christi pleni fructibus iusticiæ per Iesum Christum, in laudem Dei. Philip. 1.

Quapropter is sciat se iustificatum fide, adeo vt possit securus consistere coram tribunali Dei, qui huius iustificationis vim & efficaciã viuam in corde sentit, & simul edit fructus iusticiæ per Iesum Christum in laudem & gloriam Dei, hoc est, qui in vera pœnitentia se ad Deum, per fidem in Iesum Christum conuertunt, atque ita conuersi, militant honestam militiam, aduersus carnem, mundum & diabolum, retinentes fidem & bonam conscientiam. Nam conscientia voluntariis peccatis vastata, actum est de salute: naufragium enim fidei factum est, sine qua fide nemo mortalium iustus esse potest. iusticia autem amissa, extra viam vitæ æternæ erratur. Quapropter necessarium est, quo fidem retineamus, vt ambulemus in nouitate vitæ, non secundum carnem, id est, carnis desideria praua, sed secundum spiritum, id est, motus excitatos in corde per spiritum sanctum viuentes. Huc pertinet illud Pauli Rom. 8. 1. nulla condemnatio est iis, qui sunt in Christo, & secundum carnem non ambulant, sed secundum spiritum. & rursus: Si secundum carnem vixeritis, moriemini; at si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Huius rei causam apponens ait: Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non ergo sunt filii Dei, qui spiritu carnis & Satanæ feruntur in quæuis flagitia. Nam filii Dei spiritu Dei acti testimonium in se habent, quod verè credant, quod verè habeant remissionem peccatorum, quòd verè habeant iusticiam

Chriſti ſibi imputatam, quodque verè habeant ius vitæ æternæ propter Chriſtum, poſſeſſionem olim habituri cum omnibus electis Dei. Spiritus enim ſanctus, vt Paulus ait, teſtimonium dat ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Quomodo, quæſo, ſpiritus ſanctus dat teſtimonium ſpiritui noſtro? Per ſuam præſentiam in corde, & per viuificationẽ cordis. Quemadmodum enim ex vita animalis ſentitur præſentia animæ, & viuificatio per animam: ita per efficaciam ſpiritus ſancti in corde, & motus viuos congruentes cum lege Dei, ſentitur præſentia ſpiritus ſancti. Quemadmodum vitam (ait Chryſoſtomus) eſca continet, & eſcam vita viciſſim diſpenſat; ita ſi bona opera habuerimus, ſpiritum ſanctum habebimus, & ſi ſpiritum ſanctum habuerimus, bona etiam opera habebimus. Et tametſi omnes pii motus in corde ſunt teſtimonia ſpiritus ſancti, tamen duo præcipuè tribuuntur ſpiritui ſancto, videlicet, quod ſit ſpiritus gratiæ & precum. Gratiæ quidem, quia confirmat nos de gratia Dei, hoc eſt teſtimonium dat ſpiritui noſtro, quod ſimus in gratia, vt qui filii Dei ſimus. Sic enim Paulus ait 2. Corinth. 1. 21. qui confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & qui vnxit nos, Deus eſt, qui etiam obſignauit nos, deditque arrhabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Precum verò, quia excitat in nobis iuge precandi ſtudium. vbicunque ergo ſpiritus ſanctus in corde habitat, ibi quoque adeſſe ardens precandi Deum deſiderium neceſſe eſt, iuxta illud, Gal. 4. 6. emiſit Deus ſpiritum ſuum in corda veſtra, clamantem Abba pater. Hic clamoris nomine non intentio vocis, ſed cordis ardentiſſimi precandi Deum affectus ſignificatur. Abba Pater. Hæc locutio notat affectum Dei erga inuocantes, quod velit illos paternè exaudire, tanquam filios dilectos in dilecto. Idcirco Apoſtolus quoque ſemper hortatur ad preces, vult vt ſemper oremus, non deficientes aut ſegneſcen-

gneſcen-

gneſcentes. Vigilate & orate, ait magiſter noſter, ne intretis in tẽtationem. Vigilandi vocabulo ſignificatur ſumma diligentia in cauendis inſidiis, intus & foris, ne quà pateat tentatori ad nos inuadendos perdendosque aditus, hoc eſt, ne quà nos incautos & ſegneſcentes aut diabolus decipiat, aut mundus seducat, aut caro ſubuertat. Vult ergo dominus nos imitari ſtrenuos milites, qui ſtudioſè vigilant ne inſidiis hoſtium circumuenti, in manus hoſtium veniant.

Etſi autem ſancti non ſemper voce & ore precantur, tamen affectu indeſinenter precantur, vt qui propter circumſtantia pericula cupiant ſemper magis magisque Deo iungi, quò tutiores ſint in acie contra ſuos ſpirituales hoſtes, norunt pericula eorum, qui ſegniores in ſuis precationibus redduntur: nam magis magisque quaſi à Deo auelluntur, & hoſtibus exponuntur. Memorabile eſt dictum Gregorii Niſſeni, A Deo recedit, qui ſe per orationem ei non coniungit.

Si vis ergo ſcire, an verè coram Deo iuſtificatus ſis, interroga conſcientiam tuam, ea erit tibi inſtar mille teſtium. Nam tametſi nemo, vel ipſa conſcientia teſte, poteſt dicere, mundum eſt cor meum (adeò infirmi ſumus, omni hora, imo omni momento periculis proximi. Circuit enim diabolus tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret) tamen retinens fidem & bonum propoſitum, pugnans ſtrenuè aduerſus carnem, mundum, & diabolum, habes Deum propitium, à quo quotidie petes incidentium erratorum veniam propter meritum & interceſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, certus quod hæc Chriſti promiſſio, modo accipiatur fide, ad te quoque pertineat. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Nemo adeo ſanctus aut purus fuit, eſt, aut erit, in hac vita, excepto vno domino noſtro Ieſu Chriſto, qui non opus habuit, habet, & habebit quotidie,

imo omni momento petere delictorum veniam. Quod cum ſciret dominus noſter, iuſſit ſuos diſcipulos precantes dicere: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Hæc cōditio, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, non eſt antecedens vt cauſa, ſed conſequens, vt effectus fidei, remiſſionis peccatorum, ſicut ex parabola de debitore decem millium talentorum, colligere manifeſtum eſt, Matth. 18. 23. Cum dico neminem eſſe, qui non peccet, idque omni momento, diſcerni volo inter peccata filiorum diaboli, & filiorum Dei. Peccata filiorum diaboli ſunt voluntaria. nam filii diaboli volentes peccant, delectantur peccatis, lætantur cum malefecerint, habent propoſitum peccandi. At peccata filiorum Dei ſunt inuoluntaria. filii enim Dei nolentes peccant, oderunt peccata, triſtantur cum ſe peccaſſe animaduertunt, habent bonum propoſitum. Sunt autem inuoluntaria ſanctorum peccata, erumpentes nobis inuitis, cogitationes prauæ, titillationes carnis immundæ, & multa omiſſionis peccata. Cum his fides ſtare poteſt, modo eis non indulgeas, ſed potius eas mox vbi ſenſeris, iugules gladio ſpiritus, precatione, correctione, & aliis pietatis exercitiis. At ſi contigerit ſanctum aliquem ex carnis infirmitate contra conſcientiam labi, quod ſæpiſſimè in hoc noſtro exilio fieri ſolet, non hæreat in peccati luto, ſed citò eluctetur, ne altius immerſus abſorbeatur tandem penitus. Multi etſi cogitant de emendandis moribus, quos in vera reſipiſcentia damnant; tamen ad mores natura recurrit damnatos. tanta eſt infirmitas humanæ naturæ, tanta carnis ad malum pronitas. Nam vt Clemens ait: σιώοικον ἔχομεν τὴν ἐπὶ τὰ χείρω ῥοπήν. Quare diligentius vigilandum & orandum eſt, ne intremus in tentationem. At ſi circumuenti ab hoſtibus labimur, non tamen deſperemus, ſed confugiamus ad propitiatorium Dominum

nostrum Iesum Christum, in vera pœnitentia, ac ab eo petamus, vt ipse in veritate sua nos dirigat: sine enim ipso nihil possumus. Quare Iohannes hortatur nos, 1. Iohan. 2. 1. Si quis peccauerit, aduocatum apud patrem habemus, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Nam si cõfiteamur, vt idem dicit 1. Ioh. 1. 9. peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate. Et alta mente sit reconditum dictum Domini apud Ezechielem: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

Hæc breuiter dicta sint de necessariis sanctorum in hac vita exercitiis, quæ pertinent ad tertiam pœnitentiæ partem: quæ vt cum fide cohæret, ita fidei certissimum indicium est. Nemo seipsum fallat, sed sciat ex fructibus arborem cognosci, bona ne sit an mala: nemo Christianum se iudicet, nisi qui Christi & doctrinam sequitur, & imitatur exemplum: nemo se multitudine peccantium excuset, vnusquisque enim suum onus portabit: nemo polliceatur sibi longum vitæ tempus, ac propterea pœnitentiam differat insanus, quia incertus est euentus: nemo iram iusti iudicis prouocet, thesaurizat enim sibi iram in diem iræ: Siquidem ira Dei magis magisque procrastinatione pœnitentiæ prouocatur, quo malo nihil est homini periculosius. Sit ergo qui verè sapit, & Christianè viuere decreuit, memor dicti sapientis: Qui periculum amat, in illo peribit.

Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, nos suo sancto spiritu regat, & inflectat voluntates nostras ad veram, seriam & perpetuam obediẽtiam erga se propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. Huic vni & æterno Deo patri, & filio, & spiritui sancto, sit honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.



ΥΠΟΜΝΗΣΙΣ DE OBEDIENTIA DEO PRÆSTANDA, OPPOSITA SOMNIO perfectionis spiritus Anabaptistici; tribus comprehensa quæstionibus.

QVÆSTIONES.

1. *Quænam sit vera obedientia Deo præstanda?*
2. *Qualis esse debeat obedientia, vt Deo placeat, & fiat Dei cultus?*
3. *Quanta esse poßit obedientia in hac vita?*

DE PRIMA.

Quæ est obedientia Deo præstanda?



A Deo mandata. Nam obedientia est mandati superioris prompta & debita executio. Vbi ergo non est mandatum Dei, ibi neque obedientia erga Deum esse poterit. Atque hæc sit regula, ad quam tanquam ad Lydium lapidem omnes humanæ actiones probentur, vtrum ad obedientiam erga Deum pertineant an non?

Obedientia autem Deo præstanda, est fides & obseruatio mandatorum Dei. Nam hæc duo mandat Deus.

Fides omni verbo Dei præcipitur. Ideo enim Deus loquitur nobis, vt fidem verbis eius adhibeamus, & fiduciam in illum collocemus. Ierem. 5.3. Domine oculi

oculi tui respiciunt fidem. 2. Paral. 20. Credite in domino Deo vestro, & securi eritis; credite Prophetis eius, & cuncta euenient prosperè. Hæc fides duas habet partes. Vna est persuasio mentis de veritate verbi Dei. Altera est fiducia cordis de promissione gratiæ. Illa potest esse in diabolis, & in impiis hominibus: vtraque simul coniuncta filiorum Dei propria est. Hęc fides ideo primo loco requiritur, vt prompta sit obedientia. Præparat enim fides cor & promptum reddit ad obedientiam reliquam. Fide siquidem, vt est Act. 15. 9. purificantur corda. Nam quicquid ex impuro corde manat, impurum esse necesse est. Quare Deo purissimo placere nequit. Atque hoc est, quod Paulus Heb. 11. 6. ait: Impossibile est placere Deo sine fide. Fides itaque est mater obedientiæ. Ex ea enim & nascitur obedientia, & cum ea crescit, vt infrà dicetur.

Quod autem obedientia ex fide nata, mandata esse debeat, probatur Deut. 12. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facies, nec addas quicquam, vel minuas. Deut. 5. 32. Custodite & facite, quæ præcepit vobis Dominus Deus. Ezechielis 20. vers. 18. 19. habentur hæc duo dicta. Primum, In pręceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite & facite ea. Alterum, Nolite ambulare in præceptis patrum vestrorum. Horum prius de materia obedientiæ Deo præstandæ agit. In præceptis, inquit, meis ambulate. Sunt autem præcepta Dei, quæ ipse Deus in Decalogo nobis cōmendat. Hæc quia in Decalogo memoriæ causa breuius proponuntur, fusius explicantur à Prophetis & Apostolis, & continentur omnia sub lege dilectionis Dei & proximi. Posterius interdictum continet; In præceptis patrum vestrorum nolite incedere. Hæc præcepta fuerunt traditiones & ἐθελοθρησκεῖαι à patribus cultus gratia excogitatæ. id quod Dominus testatur, Matth. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas

& mandata hominum. Peccant igitur vtrique, & illi qui mandata hominum tanquam regulas cultus diuini obtrudunt, & hi qui illis obtemperant. illi ſuperbiæ; hi temeritatis crimine tenentur; vtrique turpis defectionis à Deo rei ſunt. Qui ergo mandata hominum faciunt cultus gratia, non Deo ſed hominibus obedientiam contra interdictum Dei præſtãt. ex quo facilè iudicare eſt, quid de Papiſmo iudicandum ſit.

Porrò, quia omnis obedientia debita originem trahit ab obligatione aliqua, hîc ſciendum eſt, quod quintuplici obligatione & vinculo iuris diuini ad obedientiam Deo præſtandam compellimur.

Prima, creatura obligatur creatori ad obedientiam. Hanc obligationẽ cernimus luce naturali. Quid enim æquius eſt, quam vt creatura ſit grata creatori, à quo & eſt & omnia habet? Gratitudo autem hæc poſita eſt in obedientia erga Deum.

Secunda, ſeruus iure diuino obligatur ad obediẽtiam præſtandam ſuo Domino. Malach. 1. 6. Seruus honorat & timet Dominum ſuum, idque eò magis, quò maior eſt Dominus, quoque maius imperium & dominationem habet. Adde, quò Dominus eſt clementior ſeruo ſuo, & quò plura beneficia gratis in illũ cõfert. Cũ ergo Deus ſit Dominus clemẽtiſſimus, liberaliſſimus, & omnium maximus, cuius imperium extendat ſe ad omnes fines terræ, meritò homo ipſi obedientiam debet vt Domino.

Tertia, filius iure diuino & naturali obligatur ad obedientiam præſtandam ſuo patri. Sic enim lex habet, Exod. 20. 12. Honora parentem. Malach. 1. 6. Filius honoret patrem: quod ſi pater ego ſum, vbi eſt honor meus? dicit Dominus.

Quarta, beneficiarius iure diuino, naturali & ciuili obligatur benefactori ſuo. Quia ergo nos beneficarii Dei ſumus, à quo habemus vitam, facultates & omnia bona ſpiritualia & corporalia, profectò maxi-
mam

mam obedientiam illi debemus, qua nostram declaremus gratitudinem.

Quinta, obligamur Deo vt iudici ad pœnam, si Deo nostro, si Domino nostro, si patri nostro, si benefactori nostro debitam obedientiam non præstamus. Has quinque obligationes in hunc versum includere soleo:

Est Deus, est dominus, pater est, largitor, & vltor.

Debemus proinde Deo, vt creatori cultum, vt Domino timorem, vt patri honorē, vt benefactori gratitudinem, vt iudici patientiam.

De Secvnda.

Quia idem opus à duobus factum non est semper eiusdem qualitatis (si animum vtriusque respicis) necesse est, vt aliquid de qualitate operis, quo Deo præstatur obedientia, dicamus, vt intelligatur, quomodo obedientia nostra Deo placeat, fiatque cultus ei gratus. Caiphas pontifex, & Cornelius aulicus, vterque dat eleemosynam ex mandato Dei. Hic si opus externum spectes, discrimen nullum apparet: æquè enim bona, si vsum attendis, est Caiphæ quā Cornelii eleemosyna. Verum, si rem ad iudicem Deum refers, maxima est dissimilitudo. Nam Cornelii eleemosyna Deo placuit, Caiphæ verò minimè. Illius enim eleemosyna fuit sacrificium Deo gratum: huius autem eleemosyna fuit fœda abominatio coram Deo. Cur ita? Quoniam Caiphas dat eleemosynam manu tantum, & non animo nisi tristi, & fine malo. Cornelius dat eleemosynam, non solum manu prompta, sed & animo hilari, & fine bono. Siquidem in omni opere bono requiritur totius hominis consensus & conatus, videlicet mentis, affectus, voluntatis (quę hic animi vocabulo intelligo) & corporis. Nam cum homo totus sit Dei, obedientia quam requirit Deus à toto & ab omnibus partibus totius requiritur. Is ergo

Deo obedire cenſendus eſt, qui totus obtemperat, animo & corpore, & partibus omnibus animi & corporis. Debent igitur anima & corpus, & vtriuſque omnes vires conſentire, & ſimul facere imperata. Quod cum fit, pulcherrima harmonia emergit, quæ dicitur iuſtitia, quæ rectè definitur congruentia mē-tis, affectuum, voluntatis & actionis cum recta ratione. Eſt autem homini pio recta ratio, quæ verbi Dei regulam ſequitur. Breuiter: Obediētia vera eſt, quando quod imperat Dominus, fit, vt illud vult Dominus fieri. Quomodo autem illud velit fieri, iam in genere dictum eſt, quod nunc apertius & diſtinctius declarabimus. Sæpius dicere me memini, cauſas efficientes & finales qualitatem actionibus noſtris (modo imperatæ ſint) cōciliare. Cauſæ efficientes bonæ actionis ſunt fides expers hypocriſis, mens rectè docta, affectus purus, voluntas prompta, & conatus corporis. Huc pertinet votum Pauli 1. Theſſ. 5. 23. Ipſe Deus pacis ſanctificet vos totos (ὁλοτελεῖς, hoc eſt, omnibus partibus abſolutos) & integer ſpiritus veſter, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Vult ergo Paulus vt ſpiritus hominis ſit integer, hoc eſt, mens hominis in ſolum Deum feratur ſententia & cogitatione, vt anima appetat, amet, deſideret quæ Dei ſunt, ac in illis acquieſcat, eaque tueatur; vt corpus & corporis membra omnia ſint inſtrumenta iuſtitiæ. ita vocabulum ὁλόκληροι ad illas tres partes accommodo, quas Paulus poſuit. Finis principalis eſt gloria Dei, tametſi multi alii ſubordinati fines accedere poſſunt. Cum hæc tria, fides, gloria Dei, & mandatum opus, concurrunt, opus ſic factum, cultus Dei cenſetur. Eſt enim cultus Dei nihil aliud quam opus mandatum à Deo, factum ex fide in gloriam Dei principaliter. At ſi vnum horum trium excluſeris, opus non eſt cultus, vtvt ſplēdidum & ſanctum appareat hominibus.

Porrò,

Porrò, quoniam, vt diximus, plures fines piarum actionum eſſe poſſunt, breuiter præcipuos recitabo, qui ſimul ad ædificium Eccleſiæ concurrunt.

Primus, vt fideles ſua obedientia glorificent Deum. In hunc enim finem & creati & redempti ſumus. Eſa. 43. 7. Omnem, qui vocatur nomine meo, in gloriam meam creaui eum, formaui eum & feci eum. Ideo Paulus ait 1. Cor. 10. 31. Omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 6. 20. Glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. Dicuntur autem opera noſtra fieri in gloriam Dei, propter quatuor, videlicet, obedientiam, confeſſionem, imitationem & ædificationem.

Secundus, vt nos patris noſtri Dei, fratris noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctificatoris noſtri ſpiritus ſancti characterē circumferamus. Pater noſter Deus eſt ſanctus, beneuolus & beneficus. Frater noſter Ieſus Chriſtus eſt ſanctus, beneuolus & beneficus. Sanctificator noſter S. ſanctus eſt ſanctus, beneuolus & beneficus. Nos ergo vt legitimi filii Dei, vt veri fratres Ieſu Chriſti, vt ſanctificati à ſpiritu ſancto, ſimus ſancti mente, corde, corpore; beneuoli affectu charitatis erga omnes, præſertim erga domeſticos fidei; benefici liberalitate & beneficentia non ſolum erga membra eiuſdem corporis Chriſti, verumetiã erga alios quoſcunque, ſaluâ pietate.

Tertius, vt fideles teſtentur ſe eſſe ſocios caſtiſſimorum Angelorum in cælo, qui Deo obediunt ſincerè abſque omni ſimulatione. Horum exemplum vult Dominus nos imitari pro modulo noſtro, cũ iubet nos orare: Fiat volũtas tua ſicut in cælo & in terra.

Quartus, vt fideles declarent ſe eſſe ſocios omnium timentium nomen Domini in terra, cum Dauide, qui ait Pſal. 119. 63. Socius ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Quintus, vt cum fideles ſint templum Dei, offe-

rant in eo vitulos labiorum, & thymiamata precum, ornentque cornua altaris frondibus & floribus obedientiæ, hoc est, ornent ministerium, adeoque vitam suam totam sanctitate & honestate.

Sextus, vt fideles opera bona habeant tanquam συνθήματα Christianorum militum militantium sub vexillo Christi victoris Diaboli, peccati & mortis.

Septimus, vt bona opera sint fulcra bonæ consciētiæ, quæ fidei propugnaculū est, ne ipsa patiatur naufragium. Atque hoc est quod Paulus vult 1. Tim. 1. cum ait: Milita honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Octauus, vt alii inuitentur exemplo nostro, sicut scriptum est Mat. 5. 6. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videāt homines vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis.

Nonus. vt præmia promissa temporaria & æterna consequantur. Nam pietas, teste Paulo 1. Tim. 4. 8. habet promissionem præsentis & futuræ vitæ.

Decimus, vt coram omnibus creaturis protestemur, nos esse hostes Diaboli, membrorū & operum ipsius. Quemadmodum ipsi membris & omnibus operibus eius renunciauimus in solenni voto, quod in baptismo fecimus. Cum ergo ille est impurus, maleuolus & maleficus, & impuritate, maleuolentia & maleficio delectatur, nos vt filii Dei, vt fratres Iesu Christi, & sanctificati à Spiritu sancto, detestemur Satanam cum suis operibus, vt omnes creaturæ sciant nos non colludere cum Diabolo & membris eius, vt hypocritæ, flagitiosi, facinorosi & hæretici faciunt.

Cum tanti sint fructus obedientiæ Deo præstitæ, perpetuam obediētiam erga Deum meditemur, memores dicti Solomonis, Prouerb. 15. 28. Mens iusti meditabitur obedientiam. At nemo, inquies, donec versatur in hac vita, potest ita viuere, quin sæpe peccet. Verum quidem hoc est, sed tripliciter peccatur, igno-

ignorantia, infirmitate, ſtudio. Sancti ſæpe peccant ignorantia, interdum infirmitate, nunquam ſtudio, donec militant aduerſus carnem, mundum, diabolum, & retinent fidem & bonam conſcientiam. Cæterum, ſi ſancti peccant ignorantia vel infirmitate, retinentes nihilominus fidem, nõ deſinunt eſſe ſancti. Nemo (ait Auguſtinus) ſanctus & iuſtus ſine peccato eſt, nec tamen ideo deſinit eſſe ſanctus vel iuſtus, cum affectu teneat ſanctitatem. At ſi ſancti, quod interdum fit, circumuenti à carne, mundo, & diabolo volentes delinquunt, naufragium fidei faciunt & deſinunt eſſe ſancti. Vt Dauid, lapſus in adulterium & homicidium, amiſſa fide, deſiit eſſe ſanctus. Nam ſuo flagitio & facinore fidem amiſit & ſpiritum ſanctum excuſſit: qui ſi non per reſipiſcentiam rediiſſet, & de nouo iuſtificatus & ſanctificatus fuiſſet, æternum periiſſet, vt anteceſſor ipſius Saul. Verùm, quia reſipuit ad concionem prophetæ, iuſtificatus & ſanctificatus eſt de nouo. Sic etiam alii circumuenti à carne, mundo & diabolo, per reſipiſcentiam rurſus in gratiam recipiuntur. Huc dictum 1. Iohan. 1. 9. pertinet: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata noſtra, & purget nos ab omni iniquitate. & paulo poſt. 2. 1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed totius mundi.

De tertia.

Tertia quæſtio quærit de quantitate obedientiæ in hac vita. Quantitas obedientiæ fidelium ſpectatur & in partibus legis diuinæ, & in gradibus partium, & in habitu. Primum igitur de partibus, poſtea de gradibus, tum de habitu dicemus.

Partes legis diuinæ ſunt decem iuxta numerum præceptorum, vnde decalogi nomen eſt. Harum par-

tium omnium ſimul requirit Deus obedientiam, nec patitur vt hanc vel illam partem affectibus tuis indulgens excludas. Non enim recipit Deus dimidium pietatis, ſed vult te totum eſſe pium. Atque hinc eſt quod vir quidam præclarè doctus & pius (qui nunc requieſcit in domino) dixerit, noſtram obedientiam debere eſſe copulatiuam; cuius ſententiam amplectimur & ſequentibus rationibus confirmamus.

Prima, vnus idemque legiſlator Deus, vt omnes partes legis dedit, ita requirit omnium ſimul obedientiam. Non vult ergo, vt puluis & cinis deligat ſibi partes, quas vult, & prætereat vnam vel plures, prout affectibus ducitur: quod nihil aliud eſt, quàm auctoritatem legiſlatoris contemnere.

Secunda, obedientia primæ & ſecundæ tabulæ cohæret, vt quæ pendeat ex vno dilectionis capite: diuelli ergo non poſſunt præcepta. Hanc ob cauſam dominus affirmat ſecundum præceptum de dilectione proximi eſſe ſimile primo de dilectione Dei. Nam vtrumque æquè obligat. Si ergo vnum aliquod præceptum excludis, læſum eſt legis caput, quod eſt dilectio.

Tertia, reatus præuaricationis omnium partium legis coniunctus eſt. Qui enim in vno labitur, ait Iacobus 2. 16. omnium reus eſt. Hoc eſt, obedientia plurium partium legis non placet, ſi vnam partem legis volens prætermittis, imo obedientia nulla eſt, ſi ſciens & volens aliquam partem excludis. Nam auctoritas legiſlatoris violatur.

Quarta, Natura fidei eſt, vt ſe totam Deo ſubiiciat, hoc eſt, mentem, affectus, volũtatem, actionem. Qui ergo ſciens & volens, vnam aliquam partem legis, affectibus indulgens, omittit, fide vacuus eſt, & ſpectro fidei ſe oblectat.

Quinta, Neceſſitas bonæ conſcientiæ tuendæ. Nam qui voluntariè præterit aliquam legis partem,

con-

conſcientiam vaſtat, quare & fidem amittit. Sic enim Paulus ait, 1. Timoth. 1. 9. Retine fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes naufragium fidei fecerunt. Huc pertinet illud Dauidis dictum, Pſal. 119. 6. Tunc non confundar, cum reſpexero ad omnia mandata tua. Confuſio hæc perturbatio eſt conſcientiæ.

Sexta, Timor Dei vniuerſalem ſeu copulatiuam obedientiam requirit. Nam qui timet aliquem, facit quæ illi grata intelligit, & cauet quæ diſplicent, ne in iram & pœnam incurrat. Beatus, ait Dauid Pſal. 112. 1. vir, qui timet dominum, & in mandatis eius delectatur valdè. Si delectatur mandatis Dei, profectò triſtatur, ſi aliquod horum negligit. Huc illud Eccleſiaſt. 7. 19. Qui timet dominum nihil negligit, ſcilicet eorum, quæ vel facere vel cauere oportet, hoc eſt, declinat à malo & facit bonum. Huc pertinent hæc dicta Salomonis Prouerb. 8. 13. timor domini odit malum, recedit à malo. Prouerb. 3. 7. expellit peccatum. Hic timor domini cum oritur ex fide, & temperatur dilectione, ſumma eſt hominis in hac vita ſapientia, ſine qua omnia ſunt vanitas vanitatum. Hic timor ſanctus eſt cultus Dei, de quo Dauid Pſal. 2. 11. Seruite domino in timore. Breuiter, hic timor fons vitæ eſt, & felicitatis omnis ſcaturigo.

Septima, confeſſionis conditio. Confitebor tibi, ait Dauid, Pſal. 111. 1. in toto corde meo. Hæc confeſſio eſt totius cordis, hoc eſt, mentis, affectuum, voluntatis: quam confeſſionem laudis, fidei, & peccati eſſe oportet. Confeſſio laudis interna eſt & externa. Interna eſt mentis, cordis & voluntatis, quæ debet fieri ex toto corde, adeo vt nullus ab hac confeſſione excludatur affectus bonus. Externa confeſſio internæ eſt publica proteſtatio, quæ fit lingua, vita, moribus: quæ quia proficiſcitur ab interna, integra eſſe debet. Confeſſio fidei mera hypocriſis eſt, niſi ex

confeſſione laudis proficiſcatur. quare hanc integram, hoc eſt, omnium partium legis eſſe oportet. Confeſſio peccati, quotidiè eſt neceſſaria coram Deo: iuxta petitionem noſtram: Remitte nobis peccata noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Hic ſi homo affectibus indulgens aliquem affectum prauum excludit, notha eſt & ſimulata ipſius cõfeſſio, qua Deus irridetur, & ſanguis Chriſti pedibus conculcatur.

Octaua, ſanctificatio (cuius partes ſunt duæ, mortificatio & viuificatio) vniuerſalem obedientiam poſtulat. Mortificatio enim omnes affectus prauos coheret & mortificat & cupiditates refrenat. Viuificatio ſimiliter eſt omnium partium legis inchoatio. Rom. 8. 13. Si ſpiritu actiones carnis mortificetis, viuetis.

Nona, Exemplum ſanctorum angelorum in cælo, qui promtè ſinceram integramque Deo obedientiam præſtant, quorum exemplum vt nos imitemur vult Chriſtus, cum iubet nos orare: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. Sancti angeli in cælo nullam legis partem omittunt, ſed totam legem intuentur, eamque præſtant ſincerè & ſine repugnantia. Nam omnibus rebus in cælo & in terra anteponunt obedientiam erga Deum. in hac petitione, Sicut, non paritatis, ſed ſimilitudinis nota eſt.

Porrò hîc ſe quęſtio offert digna quæ excutiatur. Si Deus abominatur opera hominum niſi fiant, vt dictum eſt, ex fide in gloriam Dei: præterea, ſi multa præclara opera eorum qui ſibi in aliquo peccato carni dulci indulgent, auerſatur vt impia, an non igitur perinde eſt, ac ſi toti ruant in omnia flagitia, ac ſimul omnes partes legis contumaciter transgrediantur? Abſit hoc, & procul abſit. nos Stoici non ſumus, iudicantes omnia peccata eſſe paria, & pari pœna puniendа, nec Stoicum habemus Deum. Reſpondeo

ergo

ergo ad quæstionem: Multa discrimina sunt hic obseruanda. Primum, discernendum est inter externam disciplinam & furorem acolastorum. Illa gubernantur externi mores, hoc euertuntur. Illa vtilis est multis, hic omnibus perniciosus. Secundò discernendum est inter infirmitatem carnis & contumaciam voluntatis. Qui indulgent suis affectibus in vno aliquo delicto, ex infirmitate carnis hoc vt plurimum faciunt; qui autem contumaciter ruunt in omnia scelera, superbè declinant à mandatis Dei, & lætantur cum malefecerint, Prouerb. 2. 14. Tertio, discernendum est inter sanabiles & insanabiles. Qui sinunt se regi, magna ex parte externa disciplina sanari possunt, & frequenti auditione verbi corrigi. Spes ergo est, vt aliquando resipiscant. At qui feruntur præcipites in omnia flagitia, vt nullam externam disciplinam ferunt, ita nec spes est, vt corrigi & sanari possint, cum indies magis magisque indurantur, vt Pharao. Quarto, discernẽdum est inter gradus peccatorum & scandalorum. Qui in nõnullis sibi indulgent & in aliis videtur honesti, minus peccant, & leuiora dant scandala, & in viam vt sanabiles reuocari possunt. At qui in profundum peccatorum deiecerunt se totos, vt maiora dant scandala, ita se ipsos in puteum perditionis demergunt, iuxta illud Solomonis Prouerb. 5. 22. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum constringetur. ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur. In hoc dicto Solomonis notetur peccata funibus comparari. Vt enim quo pluribus funibus res aliqua ligatur, eò difficilius soluitur: sic quo pluribus peccatis homo implicatur, eò difficilius ab illis explicabitur. Omnis ergo peccator perseuerans vel in vno peccatõ, addit peccata peccatis, & funes peccatorum multiplicat.

De partium perfectione hactenus: nunc de gra-

dibus partium pauca subiiciemus. Sed priusquam ad gradus veniamus, repetamus distinctionem perfectionis Christianę, eamq; paucis declaremus. Est autē perfectio Christiana duplex, vna personæ, altera operum. Personæ perfectio est omnibus numeris & gradibus absoluta, quæ non fuit in Petro, quam in latrone maior, sed in omnibus credentibus æquè magna & perfecta est. Hæc nihil aliud est, quàm iusticia Christi imputata credentibus. Hæc Christi iusticia, quia omnibus numeris & gradibus est absoluta, quicunque eam habet (habet autem omnis qui credit) perfectè iustus est coram Deo. De hac loquitur Paulus Rom. 5.15. Sicut vnius inobedientia multi sunt constituti peccatores, ita vnius (hoc est Christi) obedientia multi (hoc est, omnes credentes) constituentur iusti. Rom. 10.4. Christus finis legis est, in iusticiam omni credenti, hoc est, omnis credens habet iusticiam Christi, quæ est legis perfecta impletio, sibi imputatam. Quod autem huic non admisceri debeant opera nostra, manifestum est ex verbis Pauli Rom. 4.5. Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides eius ad iusticiam. hoc est, eum, qui nulla opera habet iusta, quique impius est, Deus facit iustum, dum credit in eum, iusticia Christi illi imputata. Sic iustificatus est latro in cruce, Manasses in carcere: ad quem modum omnes qui iustificantur, iustificari oportet. Hac sola iusticia nitimur in omni tentatione, & in agone mortis, Dominum nostrum Iesum Christum inuocantes, & corde ad Deum clamantes, Domine adauge nobis fidem. Qui hunc in modum gratis iustificatus est, obligatur diuino præcepto ad gratitudinem erga Deum, qua declaratur erga ipsum sincera obedientia. Ideo dictum est Abrahamo Genes. 17. 1. Ambula coram me, & esto perfectus. Hic loquitur de perfectione operis, quam requirit Deus ab Abrahamo, qui prius erat fide iusti-

ficatus, Genes. 15. 6. Sed in qua re consistit hæc perfectio operis? Hoc propositis duobus exemplis clarum efficiemus. Horum primum sit iuuenis, Matth. 19. 21. Dominus interrogatus à iuuene, de modo consequendi vitam æternam, respondet: Si vis perfectus esse, vade, vende tuas possessiones & da pauperibus; & veni & sequere me. Alterũ sit Abrahami, qui cum audisset mandatum, esto perfectus, iubetur à Domino, filium suum vnigenitum, quem diligebat, mactare in holocaustum. iam autem cum omnes pii iubentur esse perfecti, nec tamen omnes abiicere facultates, nec omnes iubentur mactare filios suos, necesse est vt ex specie præcepti personalis colligamus genus, quo omnes obligantur, idque hoc modo. Iuuenis iste charas suas facultates habuit, & nihil profectò charius. Abrahamus charum habuit filium suum dulcissimũ, & nihil profectò charius fuit illi sub sole. Hinc colligamus genus, quod est res charissima & dulcissima, quam quis habet. Ex his ergo rectè concluseris perfectionem operis esse, obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteponere, id quod facit omnis qui verè timet Deum. Verum in primis notandum est, quod Abraham non compleuit opere, quod proposito decreuerat, & tamen perfectum ipsius opus à Deo iudicatur. Nunc, inquit, Gen. 22. 12. noui quod timeas me (id est, quod perfectus sis) quòd non pepperceris filio tuo vnico. Ergo perfectio operis non sita est in opere operato, aut operis cõsummatione, sed in proposito operantis & acceptatione diuina. Abraham non perfecit opus mandatum, sed quia propositum fuit rectum & voluntas prompta, Deus acceptauit opus vt perfectum, & veri timoris Dei testimonium minimè fallax. Hic locum habet dictum Augustini: Non intuetur Deus, quantum quilibet valeat, sed quantum velit. item, Quicquid vis & non potes, Deus factum computat.

Iam vnde digressi sumus, redeamus. Cum de graduum perfectione agimus, omnium primum iaciatur hoc fundamentum, quod vt semper fides crescere debeat, idque per crebra & quotidiana pietatis exercitia (tametsi nunquam ad summum perfectionis gradum perueniat), ita quotidiè conari oporteat nos ipsos superare obedientiæ profectu (etsi obedientia nostra nunquam erit omnibus gradibus perfecta in hac vita.) Nam qui non proficit, deficit. Christus ipse gradus fidei esse ostendit. Discipulos enim suos vocat ὀλιγοπίστους, Matth. 8. 26. Centurionem Luc. 7. 9. pronunciat habere maiorem fidem quàm inuenerit in Israel. Aulicus ille Iohan. 4. 48. languidiorem fidem habuit. Fidem Cananeæ approbat Dominus vt magnam, sed non vt perfectam gradibus, Matth. 15. 28. Discipuli petunt Luc. 17. 5. Domine adauge nobis fidem. Etsi ergo fides in omnibus piis est perfecta substantia & partibus, tamen in nullo vnquam nisi in filio Dei fuit perfecta gradibus, aut esse potest. Quomodo ergo obedientia quæ fidei opus est, erit perfecta gradibus? Nonne Paulus multis argumentis ad Rom. & Gal. probat neminem posse in hac vita implere legem Dei? Quis quæso audet dicere, nisi Pelagius & spiritus anabaptisticus, se adeo proficere posse in hac vita, vt dicat se non indigere remissione peccatorum? Iam vbi est defectio, ibi non est perfectio. Hæc enim ita pugnant, vt simul stare non possint.

Sed obiicitur dictum Iohannis, 1. Iohan. 3. Omnis qui in eo (hoc est in Christo) manet, non peccat. item, Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam à Deo natus est. Hinc ita concludit spiritus anabapstiticus: Qui non peccat: qui peccatum non facit: qui non potest peccare, is certè perfectus coram Deo est, idque ex legis sententia.

Respondeo: Hic spiritus anabaptisticus trium-

phat

phat ante victoriam, sed frustra. Primo dico perperam, ad stabiliendam perfectionem legis, torqueri hunc locum, reclamante totius scripturæ consensu. Deinde errare anabaptisticum spiritũ affirmo, quod non ex collatione plurium dictorum scripturę eruat, quis sit huius loci verus sensus. Præterea culpa non carere aio, quod accipiat simpliciter, quod peristasis loci monet accipiendum esse comparatiuè.

Quòd autem dictum Iohannis accipiendum sit comparatiuè, primum ex eo manifestum est, quod non sit homo super terram qui non peccet, teste Solomone 3. Regum 8. Deinde Iohannes ipse, cuius testimonio abutitur ad confirmandum suum errorem, idem testatur. Nam cum Ioannes in primo capite de se & aliis sanctis clarè pronunciat: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: apertè indicat se in tertio non loqui de perfectione legis & plena peccati abolitione. Nam si hoc dictnm: non peccat: non facit peccatum: non potest peccare, simpliciter accipis, euertis quod Iohannes antea magna asseueratione enunciauit, videlicet, si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & in nobis veritas non est. Quapropter omnino per comparationem peccati minoris ad maius intelligendum est dictum Iohannis. Minus peccatum est, defectus naturalis, infirmitas carnis, ignoratio, & suborientes subinde praui affectus, quod peccati genus manet in omnibus sanctis in hac vita, de quo dictum Iohannis ex primo capite desumptum intelligendum est. Maius peccatum est, superbia & contumacia aduersus Deum, quale fuit peccatum Diaboli & Cain. Quorum exempla adducit Iohannes, vt significet de quo peccati genere loquatur, cum ait: Qui manet in eo, non peccat, scilicet superbia & contumacia, vt Diabolus & Cain fecerunt. De quo peccati genere intelligendũ est illud Dauidis: In-

crepa ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Peccata igitur hærentia in natura humana, vt defectus, affectus praui, ſubinde ſuborientes dubitationes, ſi in ſe conſiderantur, ſunt magna peccata, & transgreſſiones legis diuinæ, ſed ſi comparantur ad peccatum ſuperbiæ & contumaciæ, nullam peccati rationem habent in iis, qui fide iuſtificati ſunt. Horum enim peccata tecta ſunt, hoc eſt, non imputãtur credentibus, iuxta dictum Pſalmi: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Hoc ergo ſenſu accipienda ſunt dicta Iohannis: non peccat, non facit peccatum, non poteſt peccare, ſcilicet ſuperbè & contumaciter. Rationem ſuæ aſſeuerationis ſubiungit Iohannes: Quia manet in eo (hoc eſt, in Chriſto propitiatore peccati) quoniam ſemen ipſius manet in eo. Semen autem noſtræ nouæ natiuitatis eſt verbum Dei, fide in agrum cordis receptũ, & rore Spiritus ſancti irrigatum. Donec autem hoc ſemen in corde hominis manet, nõ peccat homo ſuperbè & contumaciter.

Poſſumus breuius antilogiam, quæ apparet in dictis Iohannis, dialecticè in hunc modum ſoluere. Cum Iohannes dicit: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipſi nos ſeducimus, loquitur de materiali peccati, quod eſt vitium naturale, defectus, aberrantes motus, qui ſemper in ſanctis etiam manent, ſed teguntur propitiatorio. At cum in tertio dicit: quiſquis in eo manet, nõ peccat, &c. loquitur de formali peccati, hoc eſt, de reatu, qui ſanctis condonatus & tectus eſt. Quamobrem ſi materiã peccati ſpectes, nunquam in hac vita vel ſanctiſſimus quiſque expers peccati eſt, ſicuti cum ſcriptura omnium ſanctorum experientia teſtatur. Iam vbi peccatum, ibi abolitio peccati plena non eſt, nec legis obedientia omnibus numeris & gradibus perfecta. Quam ſi in hac vita,

dilecte

dilecte frater, expectas, vmbra somnii te oblectas, quę nunquam te pium, sed superbum faciet. Cum itaque fatemur cum omnibus sanctis in nobis esse defectus, quis ita insanit, vt se perfectum gradib. somniet? Audiamus quid Paulus de se dicat, Rom, 7. 15. Nõ quod volo, ait, bonum, hoc facio, sed quod odi, malum, hoc ago. Item vers. 25. Mente seruio legi Dei, carne verò legi peccati. Item vers. 26. Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius! Gratias ago per Iesum Christum Dominum nostrum. Idem Paulus dicit, corpus nostrum morti obnoxium esse propter peccatum, quod in eo manet donec homo viuit. Dauid inquit: Nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sed quid opus est multis in re manifestissima, quæ scripturis sanctis, testimoniis Prophetarum, Apostolorum dictis, exemplis omnium piorum, confessione sanctorum patrum in Ecclesia, atq; omnium hominum experientia confirmatur? Qui contra sentiunt, torquent scripturas, & hæreticorum more sibi errores fabricant, non circumstantias scripturarum, quæ illuminant dicta, attendentes. Hos ego velim dictum Tertulliani cogitare: Oportet secundum plura intelligi pauciora, & ne vnus sermo alia multa subuertat, secũdum omnia potius quam aduersus omnia intelligẽdus erit. Quid quæso ineptius, quam ex præcepto concludere præstandi facultatem? cum potius inde confessio debiti, & petitio veniæ cõcludenda sit, Mat. 18. 24. Quid insulsius quam ab exempli Christi perfectione, imitationis perfectionem inferre? cum solummodo imitationis studium nobis commendetur. Quid vanius quam ex perpetuo voto Ecclesiæ, voti compotem fore plenè aliquem in hac vita, ratiocinari? quasi non iubeamur multa petere, quæ in futura tandẽ vita consequemur perfectè? Reliqua quæ adfert anabaptisticus spiritus, omitto. Nam cum doctrina nostra ex veris exstructa sit fundamẽtis, omnes

contrarias obiectiones dissoluit, & sua claritate obiectas nebulas facillimè dispellit. Facessat ergo spiritus anabaptisticus, somnians perfectionem tantam, vt nō opus habeamus precari, Remitte nobis peccata nostra, &, Ne inducas nos in tentationem. Hic impurus spiritus olim regnauit in Pelagianis, Manichæis, Catharis, Cælestinis, Donatistis, & hodie in Anabaptistis, & Libertinis, & in quibusdam, qui in illorum numero se esse dissimulant.

Iam ad perfectionem habitus piè iusteque viuendi veniamus, & breuiter ascribamus, qua via is habitus qualiscunque acquiratur. Sunt autem hic quatuor declaranda, quæ sunt;

1. Προαίρεσις.
2. Ἐπίστασις.
3. Ἐπίτασις.
4. Τελείωσις.

Προαίρεσις.

Cum homo in conuersione iustificatur fide, iustitia Christi sibi credenti imputata, simul regenerari & renouari incipit in nouum hominem per Spiritum sanctum, in quo nouo homine noua ex gratia creatur προαίρεσις, quam in hunc modum rectè describi posse arbitror.

Προαίρεσις noui hominis est noua facultas, qua homo iustificatus fide, regeneratus per Spiritum sanctū, & vero iudicio ex verbo Dei petito instructus, nō solum volens & liberè eligit piè & iustè viuere in Domino; verumetiam volens & liberè auersatur vitam impiam & iniustam, renuncians Satanæ & operibus eius cum carnis desideriis, vt se gratum præbeat Deo patri ob missum & donatum filium, in quo solo iam gloriatur, liberatus à captiuitate diaboli, peccati, mortis,

tis, inferni, ſub qua captiuitate fuit propter peccata iuſtè detentus.

Homo itaque regenitus, memor prioris ſui ſtatus, meditatur in poſterum piam & iuſtam vitam, nempe vt faciat iudicium & iuſtitiam. Iudicium quidem, diſcernendo malum à bono, quod eſt mentis opus; iuſtitiam vero, faciendo bonum, & declinando à malo, quod proprium eſt voluntatis officium. Horum neutrum poteſt verè præſtari ſine altero. Fieri enim non poteſt, vt idem cor nouũ per Spiritum ſanctum creatum, ſit capax pietatis & impietatis, ſeu quod idem eſt, iuſtitiæ & iniquitatis ſimul. Ideo verè ab Auguſtino dictum eſt: Nunquam iuſtitiam percepturus es, ſi adhuc tibi placet iniquitas.

Hæc προαίρεσις noui hominis, qua pietas præ impietate, & iuſtitia præ iniuſtitia eligitur, eſt initium piæ & iuſtæ vitæ. Quæ προαίρεσις, vt regitur verbo Euangelii, & ex ſpiritu fidei in corde voluntario cõcipitur: ita adiuuatur à Spiritu ſancto, creſcit pia inuocatione, & ordinatur in gloriam Dei, & in ædificationem, ornamentumque templ Dei viui.

Ἐπίστασις.

Προαίρεσιν excipit ἐπίστασις, quæ eſt aggreſſio operis, & quaſi omnium virium explicatio in opus, id eſt, ad facienda alacriter, quæ ſpiritus noui hominis ſuadet, & ad fugienda ſerio quæ caro importunè ſuggerit. Donec enim carni obtemperamus, hoſti adiũgimur: quãdo autem Spiritum ſequimur, Chriſto ſociamur. Hæc epiſtaſis eſt feruor fidei creſcentis, hoc eſt, πτοίησις, qua homo nouus altius in opus inſurgit, & aduerſus carnem ſe fortius opponit, dum, videlicet, ſpiritus militat aduerſus carnem, hoc eſt, aduerſus cogitationes mentis & affectus cordis. Cogitatio nihil aliud eſt, quam agitatio mentis, ſeu circa quælibet, animi occupatio. Hæc ſi intenſior fuerit, conſideratio

dicitur, at ſi frequentius modum, cauſam, rationem vniuſcuiuſque rei inueſtigat, meditatio appellatur. Vt ergo obiecta variant, ita mutatur qualitas cogitationis: ex quo fit, vt alia cogitatio ſit bona, alia mala, alia media. Cogitatio bona eſt ſemen virtutum & honeſtarum actionum. Cogitatio mala eſt virus vitiorum: quod niſi feſtinanter eiiciatur, prius interiora corrumpit; deinde totum hominem maculat. Cogitatio media eſt, cum animus circa res medias occupatur. Cogitationes igitur mentis omnes actiones antecedunt. Nam omnia vel mala, vel bona, vel media à cogitatione procedunt. In cogitatione quiſque innocens, in cogitatione quiſque reus eſt. ideo Bernhardus ait: In cogitatione ſua cadit quiſque, vel ſtat. Si bona cogitas, cogitatio tua ſancta cuſtodiet te: ſi mala cogitas, cogitatio tua peruerſa perdet te. Sapientię 1.3. Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo. Prouerb. 15.26. Abominatio Domini cogitationes malæ. Cogitationes mentis prauæ affectibus quaſi fermentatæ maximè importunæ ſunt, & difficillimè, niſi principiis obſtiteris, cohibentur. Nam animus hominis cogitationibus ſubinde tanquam æſtu maris abripitur, & veluti vehementi tempeſtate nunc in hos, nunc in illos ſcopulos impellitur. Nec deſinit cogitationis impetus, modo illi frena laxaueris, priuſquam te in profundum peccati, vnde te recipere non poteris, præcipitauerit. Nam hoc ordine cogitatio ἐμπαθὴς & effrenis progreditur, quem Bernhardus deſcribit his verbis: Cogitatio delectationem parit; delectatio cõſenſum; conſenſus actionem; actio conſuetudinem; conſuetudo neceſſitatem; neceſſitas mortem; ſicut vipera à filiis ſuis in vtero poſitis lacerata moritur: ita nos cogitationes intra nos nutritæ occidunt. Hucuſque Bernhardus. Vt ergo vlceri ὑπούλῳ manus medica cito adhibenda eſt, priuſquam in cacoethes aut in cãcrum deſinat: ita cogitationibus prauis antequam

callum

callum induxerint, reſiſtendum eſt. Præſertim cum omnia opera quantumuis recta videntur, immunda ſunt, donec vel minimæ prauæ cogitationi indulgetur. Sic enim rectè ab Auguſtino dictum eſt: Nō mūdatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate. Prima igitur ſanctæ diſciplinæ pars ſit refrenatio prauarum cogitationum. Nam vt aquæ variis ventorum flatibus agitatæ ingentes tempeſtates pariūt, quę naues demergūt; ita cogitationes prauę affectus turbulentos & pernicioſos excitant, quibus homo euertitur. Contra verò, cogitationes ſanctæ hominem cuſtodiunt, ne in ſcopulos affectuum impingat. Ideo Paulus hortatur Philip. 4. 8. ad ſanctas cogitationes his verbis: De cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Nam cogitatio ſancta parit delectationem ſpiritus; delectatio ſpiritus parit conſenſum voluntatis; conſenſus voluntatis parit actionem ſanctam; actio ſancta, conſuetudinem ſanctam; conſuetudo ſancta, contemplationem; cōtemplatio, admirationem; admiratio, confeſſionem & laudem Dei, quam excipit vita beata, quæ eſt donum Dei in Chriſto Ieſu.

Porrò, quoniam cogitatio praua eſt tentatio carnis vehementior, vnde in mortem fit tranſitus, Chriſtus docet nos modum reſiſtendi, cū cogitationi prauæ, tum tentationi inde pullulanti, cum ait Mar. 14. 38. Vigilate & orate, ne introeatis in tentationem. Vigilare quidem debemus, vt milites in caſtris Chriſti, vndique ab hoſtibus cincti, ne hoſtes nos ſtertentes, inermes & incautos opprimant, qui plane nihil aduerſus nos poſſunt, niſi noſtris cogitationibus malis, ignauia & peccatis armentur. Orare verò, vt filius Dei victor Diaboli nobis πρoστάτης adſit & aduocatus. Nam per nos, neque Satanæ, neque prauis cogi-

tationibus & tentationibus resistere valemus. Tanta est infirmitas, tanta malitia & peruersitas naturæ nostræ. Infirmitas, qua non possumus resistere; malitia, qua nolumus; peruersitas, qua ratio seruit, & libido in nobis dominatur. Dominus itaq; reuocans nobis in memoriam lapsum primorum parentum, vt illorum damno admoniti cautiores simus, iubet nos orare quotidie, & dicere: Ne nos inducas in tẽtationem, sed libera nos à malo. Quoties ergo hanc precationem recitamus, cogitemus lapsum primorum parentum, scientes quod idem, qui eos seduxit, nobis quoque omni momento insidietur, vt nos simili modo in suos laqueos pertrahat. Similiter Apostolus hortatur 1. Tim. 1. 18. Vt honestam militemus militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. Vide quam apposité hæc tria, fidem, honestam militiam, & bonam conscientiam coniungit. Fides est, quâ relictis castris Sathanæ, in castra Christi nos recipimus, & Christo duci sacramento militari nos obligamus. Fides est, qua in pugna aduersus Satanam, mundum, cogitationes & concupiscẽtias carnis obtinemus victoriam. Sic enim Iohannes, 1. Ioh. 5. 4. Hæc est victoria, quæ vicit mundum, fides vestra. Honesta militia opponitur ignauiæ & turpi militiæ, cum miles abiecto clypeo & gladio se hosti turpiter tradit in mancipium Satanæ, relictis ignominiose castris Christi: qua re nihil fœdius, nihil tristius, nihil probrosius cogitari potest, vt est videre in nostris primis parẽtibus, qui se victos mancipa/runt Satanę in suum & posterorum suorum maximum probrum. Honesta igitur militia erit, cum in acie nos fortiter opponimus hosti, eumque in fugam vertimus spoliatum armis, quibus nos oppugnauit. Tunc enim spoliamus Satanam suis armis, quãdo exclusis prauis cogitationibus, relicta impietate & iniustitia, studemus iustitiæ & innocentiæ. Neque enim potest aduersus nos quicquam, nisi armetur

metur noſtris peccatis vt antea diximus. Bona conſcientia effectus fidei & honeſtæ militiæ comes eſt. Hæc vt naſcitur ex fide, quia ſtatuimus peccatũ remiſſum, ita fouetur & creſcit, tum eadem fide, tum vitæ innocentia, quæ ab eruditis iuſticia bonæ conſcientiæ dicitur. Hæc iuſticia bonæ cõſcientiæ eſt duplex, interna, & externa. Interna iuſticia bonæ conſcientiæ definitur συμφωνία iuſta partium animæ, hoc eſt, vt expreſſius dicã, congruentia mentis, cogitationum, affectuum & voluntatis cum recta ratione, cuius regula eſt fides & verbum Dei. Externa iuſticia bonæ conſcientiæ ab interna dependet, & eſt actionũ cum verbo Dei & fidei regula conformitas, quantum quidem in hac vita fieri poteſt. In hac iuſticia bonæ conſcientiæ omnes cęteræ virtutes continentur, vt ei rectè cõueniat verſus ille Theognidis: ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι. Hæc iuſticia charitatis nomine ſæpe in ſcripturis ſignificatur: quia in charitate magis pietatis ſtudium relucet. Eadem voce innocentiæ interdum notatur. Sic enim Auguſtinus ait: tota iuſticia ad vnũ innocentiæ caput redigitur. Eſt autem innocens, qui cum alii nõ nocet, nec ſibi nocet. Nocet quidem homo alteri, quantum in ipſo eſt, aut faciendo miſerum, aut deſerendo miſerum. Nocet vero homo ſibi, quãdo vel peccato indulget, vel non facit, quod oportet. Ex quo intelligitur eundem eſſe iuſtum, qui eſt innocens, & innocentem, qui eſt iuſtus.

Ἐπίτασις.

Ἐπίτασις eſt pietatis & iuſticiæ feliciter inchoatę & incitatæ maior & vehementior adhuc ardor ad faciẽda & cauenda quæ oportet, idque ſine intermiſſione, ſed non ſine grauiſſima lucta aduerſus principem tenebrarum, aduerſus cogitationes mentis, aduerſus concupiſcentias carnis, & aduerſus peruerſos huius mundi mores. Epheſ. 2. In hac epitaſi & vehementiori ſtudio & lucta principem locum tenet timor Dei,

non qualis in Cain erat, cum desperatione veniæ, quę est seruorum contumacium, sed qualis in Abel fuit, cum fiducia misericordiæ coniunctus, qui est filiorum Dei proprius. Hic enim castus & sanctus timor est riuulus quidam è sapientia diuina, quam profitetur Euangelium, emanans, fidei & bonæ conscientiæ custos fidelissimus. Quare non immeritò initium sapientiæ timor Domini dicitur, Prouerb. 1. 7. Sapientiæ, inquam, veræ, quæ est cibus animæ longè sapidissimus, gratissimus & viuificus, hoc est, scientia salutis & optimarum rerum cognitio cum vera pietate, atque virtute cõiuncta. ὥσπερ γὰρ ἀτροφία τῆς ψυχῆς ἡ ἄγνοια, οὕτω καὶ τροφὴ ἡ σοφία. Lactantius autem in hunc modum veram sapientiam hominis definit. Omnis sapientia hominis in hoc vno est vt Deum cognoscat & colat. Huius sapientiæ, qua nihil in vita suauius, nihil vtilius nihil sanctius, initium est timor Domini. Et quod profecto mirum est, hic timor est & sapientiæ parens fœcundus, & sapientiæ proles pulcherrima. de hoc timore loquitur Dominus Ierem. 32. 40. cum ait: Timorem meum dabo in corde illorum, ne declinent à me. Vnus enim timor Dei parit obseruationem mandatorum Dei: parit omnem sanctam subiectionem cum prudẽtia in tota vita gubernanda coniunctam. Siquidem hic solus timor Domini sanctus à via vanitatis te reuocat: in via veritatis te ducit: in via recta te dirigit, intra limites te continet, ne declines vel ad dexteram per superstitionem (quæ est superfluus cultus Dei præter verbum Dei temere ab homine institutus) vel ad sinistram per iniquitatem (quæ est legis diuinæ contumax transgressio) excitat te, ne in cursu segnescas; impellit te, ne retro eas; vrget te ne deficias, antequam ex hoc calamitatum, tentationum, miseriarum pelago, in portum salutis optatissimum perueneris, iugiter precibus aliisq; pietatis exercitiis incumbens. Quapropter verissimum

dictum

dictum illud, non tam manibus & pedibus, quàm tota mente, & toto corde amplectendum eſt, Pſal. 112. 1. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius delectatur valdè. Hic definitur vir timens Dei, & additur promiſſio longè ſuauiſſima. Quis eſt qui timet Deum? qui mandatis eius delectatur: qui ambulat in lege Domini: qui obſeruat teſtimonia Dei: qui toto corde inquirit Deum, hoc eſt, qui omnibus rebus mundi anteponit veram pietatem & obedientiam erga Deum, cum in vita, tum in cruce, quæ veræ pietatis indiuiduus comes eſt, iuxta dictum Pauli 2. Timoth. 3. 12. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Quid timenti Deum promittitur? Beatitudo, non huius mundi, quæ vana eſt & fallax, ſed filiorum Dei, quæ æterna eſt & vera. Ad hanc beatitudinem tribus gradibus cōſcendere nos oportet, quorum primus eſt fides, qua Chriſtus auctorem & donatorem beatitudinis complectimur. Secundus, ſeu medius eſt obedientia ex fide præſtita, cum in vita tum in cruce. Tertius eſt exitus lætus in fide & in inuocatione Dei ex hac vita. Omnes quidem beati eſſe volunt, ſed tamen non erunt, niſi qui per hos gradus ad beatitudinem conſcenderint. tametſi autem ius huius beatitudinis hic obtinemus fide, tamen reſuſcitatis mortuis in eius plenam poſſeſſionem ingrediemur per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Tunc enim abundabimus perfecto bono, viſione & fruitione Dei in omnem æternitatem, liberi nō ſolum ab omni malo, verumetiam à metu omnis mali, idq; per eundem Ieſum Chriſtum qui noſtra contemta corpora transfigurabit, vt ſint conformia ſuo glorioſo corpori, idque potentia qua poteſt ſibi omnia ſubiicere, Philip. 3. 21.

Τελείωσις.

Τελείωσις eſt, non perfectio & impletio legis ſecundum partes & gradus partium, ſed eſt perfectio habi-

tus iuſtè piéque viuendi longo tempore & crebris a-
ctionibus acquiſiti & comparati, qualis in hac vitæ infirmitate eſſe poterit, ſeu vt Clemens loquitur, τε-
λείωσις in habitu εὐποιίας ſecundum ſimilitudinem Dei cum æqualitate perſeuerat, nequaquam tamen talis habitus pietatis & virtutis in hac vita expectandus eſt qualis eſſe ſolet in artibus, videlicet, durabilis & conſtans, vt amitti non poſſit. Vide Baſilium pag. 522. Quæ hactenus dicta ſunt, ad πρᾶξιν μέσην, vt idem ait, pertinent. τελείωσις autem de qua modo agimus τὸ κατόρθωμα piorum (non equidem omnibus numeris & gradibus abſolutum, ſed cui aliquid quotidiè accedere poteſt & debet per pietatis exercitia, donec in hac vita peregrinamur) refertur. Neque enim κατόρθωμα Stoicum requirimus, ſed Chriſtianum, quod eſt ſerium, conſtans & ardens pietatis ſtudium. Quod autem Clemens dicat hunc habitum διαμένειν & ἀμετάβολον & ἀδιάπτωτον eſſe, optandum quidem eſſet, ſed multa exempla ſanctorum nos monent, vt qui ſtat, videat ne cadat. nam in iuſtificatis & ſanctis magna eſt infirmitas adeo vt nemo poſſit ſecurus eſſe, vtut perpetuò vigilet, militet, precetur. Nullus ſanctorum vnquam vixit ἀναμάρτητος. Nemo fuit qui non opus haberet quotidiè precari & dicere cum Eccleſia Matth. 6. 12. Remitte nobis peccata noſtra. item, ne inducas nos in tentationem. item, Luc. 17. 6. Domine adauge mihi fidem. Eſt & hæc confeſſio omnium ſanctorum, Luc. 17. 10. Serui inutiles ſumus. item, Pſal. 130. 3. Si iniquitatem obſeruaueris Domine quis ſuſtinebit: quaſi diceret: Nullus planè mortaliũ, tantum abeſt vt quiſquam hominum poſſit gloriari de perfectione habitus. Meminerimus grauiſſimæ exhortationis Baſilii ἕως ἐξουρίας πνεῖς φοβήθητι τὸ ναυάγιον, ἧττον γὰρ ναυαγήσεις τῇ θείᾳ βοηθῷ χρώμενος. Nequaquam igitur poſſumus hanc τελείωσιν habitus rectè pieq; viuendi intelligere de perfectione quæ ſit omnino immutabi-

tabilis in hac vita, ſed tantum de habitu qualicunque, qui inſidiis diaboli, & fallacibus deſideriis carnis expoſitus eſt. Clementis igitur hyperbolen abiiciendam iudico, nullo enim colore excuſari poteſt. Experimur quotidiè quàm tener ſit habitus ille piè iuſtéq; viuendi, & quam facilis ſit lapſus etiam ſanctiſſimorum, quod in ſanctiſſimo propheta Dei Dauide cernimus manifeſtè, quem inter ſummos ſanctos numero. Phariſaica hypocriſis, quam pro ſanctitate venditant, abominatio eſt coram Deo. Breuiter, Quicunq; ſibi placet, diſplicet Deo, qui intima cordis videt.

Quod autem additur in definitione ſecundum ſimilitudinem Dei μετ' ἰσότητος, vtrumque explicandum eſt, videlicet, quæ ſit illa ſimilitudo, & qualis ἰσότης. Sed de ſimilitudine primum. Ad hanc enim homo primum creatus, & deinde per ſpiritum Chriſti regenitus eſt. Hac ſimilitudine Adam Deo iunctus erat, à quo, lapſu interueniente, diſſimilitudine ſeiunctus eſt. Hæc ſimilitudo, vt in vera iuſticia poſita erat, ita diſſimilitudo in iniuſticia eſt ſita. Vt ergo ſimilitudine, hoc eſt, iuſticia Deo iungimur, ita ab eodem, diſſimilitudine, hoc eſt, iniuſticia ſeiungimur. Huc reſpexit Eſaias cap. 59. 2. cum diceret: Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & me. Non ergo quisque loco longè eſt à Deo, ſed diſſimilitudine, hoc eſt, iniuſticia, quæ in mala vita & in malis moribus cernitur. Porrò quoniam ſimilitudo iuſticiæ Dei à nobis requiritur, videndum eſt, quænam ſit illa iuſticia Dei in qua nos oportet Deo eſſe ſimiles. Hanc Dei iuſticiam ſapientiſſimi homines partim natura duce, partim verbo Dei & rerum creatarum contemplatione edocti definiunt in hunc modum. Iuſticia Dei eſt κοινωνία τὶς μετ' ἰσότητος κατ' ἀξίαν γένους ἑκάστου. hoc eſt, iuſticia Dei communicatio quædam eſt cum æqualitate ſecundum ἀξίαν generis cuiuslibet, ſcilicet rerum creatarum. Hæc definitio iuſticiæ ex tribus principiis natu-

râ notis extructa eſt. Horum primum eſt ὁ θεὸς τὸ παναγαθὸν, id eſt, Deus eſt ſummum bonum. Secundum, πᾶν ἀγαθὸν κοινωνικὸν, id eſt, omne bonum communicat cum aliis ſuam bonitatem. Tertium, ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν, id eſt, omne bonum æqualem habet naturam. Eſt ergo ἰσότης qua Deus eſt æqualis ſuis creaturis, ſed κατ' ἀξίαν γένους ἑκάστου, hoc eſt, prout in creatione menſuram certam ſuæ bonitatis ſingulis rerum generibus quaſi appẽdit, adeo vt nulla creaturarum expers ſit bonitatis diuinæ. aliis enim pauciora, aliis plura dona ex fonte ſuæ bonitatis, communicauit, prout illi viſum eſt facere, ad σύστημα totius vniuerſi cõſummandum & ornandũ in gloriam ſuam. Quæ ergo communia ſunt vni alicui ſpeciei, communia ſunt ſingulis indiuiduis eiusdem, idque æqualiter: in qua re ipſius Dei ſapientia, & bonitas cernitur. Hinc eſt quod cum vnius indiuidui naturam perſpexeris, totius ſpeciei naturam & definitionem cognoſcas. Hoc Dauid perpendens ait Pſal. 92. 5. Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Hac ἰσότητι Deus ex ſua bonitate ſolem ſuũ facit oriri ſuper bonos & malos. Vſum huius aëris communicat promiſcuè omnibus. Vſum aquæ ex æquo communicat piſcibus. Sed omiſſis reliquis creaturis dicamus de homine. Huic in creatione communicat ſuam imaginem. Deinde poſt lapſum omnibus hominibus communicat verbum ſalutis per Chriſtum reſtituendæ, ſed cum conditione iuſtiſſima, videlicet, ſi verbum ſalutis conſtanter recipiant & reſipiſcant. Statuit enim decretum ex æquo omnibus hominibus commune, videlicet, quod velit omnes contumaces & perſeuerantes in ſuis peccatis vſque ad mortem ſine reſipiſcentia, abiicere puniendos æternis pœnis: & contra quod velit omnes quantumuis magnos peccatores, modo ante mortem ſerio reſipiſcant, recipere in gratiam, quod conſtanti aſſe-

uera-

ueratione teſtatur apud Ezech. 33. 11. Viuo ego (inquit) non volo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Hinc natum eſt dictum illud memorabile Gregorii Nyſſeni; Soli homini hoc donatū eſt, & omni, & ſemper, ex miſericordia per pœnitentiam conſequi veniam, ſecundum huius vitæ tempus: poſt mortem autem conceſſum eſſe nemini. Quid tu Zeno cum tua familia contra hanc Dei æqualitatem & claram aſſeuerationem dicere potes? tu vis paucos quoſdam recipi, quos fingis ſcriptos eſſe in tabulis Parcarum. Sed Dei iuſticia eſt æqualis, & iuxta decretum Dei vult omnes credentes recipere, idque abſq; omni diſcrimine nationum, ſtatuum, ſexuum, perſonarum, ætatum, &c. Deus, ait Apoſtolus, 1. Timoth. 2. 4. vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sunt ergo hæ concluſiones ratæ & immotæ. Deus Cain contumacem & non reſipiſcentem ante mortem abiecit. Ergo & omnes tales abiiciet. Deus Abrahamum idololatram, ſed reſipiſcentem recepit in gratiam. Ergo & alios peccatores reſipiſcentes recipiet in gratiam, nullo diſcrimine inter Lazarum vlceroſum & Dauidem gemmis ſplendentem, habito. Latronem in cruce reſipiſcentem recepit in gratiā. Ergo & aliis latronibus reſipiſcentibus propitiabitur. Hinc concluſum eſt dictum illud Auguſtini ſuauiſſimum. Non timeat acceſſurus ad Deum aliquas iniquitates ſuas, tantummodo accedat pleno corde, & deſinat facere quæ antea faciebat, & non dicat, illa iniquitas mihi non dimittitur. Sic Paulus Rom. 4. 23. accommodat Abrahami credentis exemplum ad omnes credentes, vt appareat quod Deus velit communicare ſuam clementiam μετ' ἰσότητος. Nec dubium eſt Paulum ad hanc Dei iuſticiam reſpexiſſe, cum exemplum Abrahæ accommodaret omnibus credentibus. Valet ergo argumentum à ſingulari ad vniuerſale propter æqualitatem iuſticiæ

diuinæ, non minus quàm ab vniuersali ad singulare propter eandem æqualitatem iusticiæ diuinæ. Breuiter, iusticia Dei talis est, vt auersos omnes damnet, non cõuersos omnes saluet. Quæso te ergo mi Zeno, noli, si tu transiisti, velle misericordiæ Dei pontem subuertere.

Porro, etsi nos hanc iusticiam Dei assequi non valemus (humana enim iusticia diuinæ iusticiæ comparata, vix habet rationem lucernæ solis radio oppositæ) conatus tamen placet. Deus enim non attendit facultatem, sed voluntatem. Imitemur ergo eam pio studio & promta voluntate, quantũ possumus: quod cum facimus, aliquo modo Deo similes censemur. Hanc imitationem nobis sæpe commendat scriptura: Leuit. 11. 44. Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Leuit. 20. 7. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis vt sitis sancti. Sanctificamur autem à patre per oblationem corporis Christi, vt simus sancti per spiritum sanctificatorem, hoc est, vt oblati Deo simus mundi mente, corde, confessione, opere, vtpote separati à prophanitate mundi. Filius Dei quoq; ad hanc imitationẽ nos vocat, cum dicit Marc. 5. 45. Patrem sinere solem suũ oriri super bonos & malos, vnde infert nos debere cũ amicos tum inimicos nostros diligere. item, Matth. 5. 48. Estote perfecti (id est, sinceri sine hypocrisi) sicut pater vester in cęlis est perfectus. item, Luc. 6. 36. Estote misericordes sicut pater vester misericors est. Proponit & Dominus propriũ exemplũ cum ait, Ioh. 13. 15. Exẽplum meũ dedi vobis vt diligatis vos inuicem sicut ego dilexi vos. Huc lotio pedum discipulorũ pertinet. His omnibus dictis cõmendatur nobis imitatio iusticiæ diuinæ, quod quidẽ facimus, quãdo alacriter iusticiæ incumbimus, quæ, vt breuiter multa cõplectar, τετράγωνος esse debet, hoc est constabit pietate erga Deum, puritate vitæ, charitate

erga

erga homines,& ſedulitate in vocatione. Hæc iuſtitia tametſi crebris exercitiis fit firmior & ſtabilior, tamē ad ſummum perfectionis gradum in hac vita nō pertingit. Partes definitionis breuiter declaremus. Pietas impietati aduerſatur, eamq; pellit. Eſt enim flammæ ſimilis. Vt enim flamma vrit ſubiectam materiā, & illuſtrat vicinū aërem pulſis tenebris, ita pietas exurit vitia, & totam mentem lumine replet. Cōtra verò impietas aſſimilatur fumo. Vt enim fumus rem obiectam fœdat, & obſcurat vicinum aërem; ita impietas mentem fœdat, & dona Dei, atque adeo omnia hominis facta obſcurat, & tenebris inuoluit. Puritas vitæ incipit à fide, & ſpiritu Dei augetur, dū quotidie ſanctificamur atque renouamur magis magiſque, & mēte, & corde, & corpore. Charitas erga omnes excludit odium, lites, iurgia, & hominem omnibus affabilem & comem præbet, & beneficum. Sedulitas in vocatione facit, vt ſine dolo cum ſumma diligentia officium faciamus in gloriam Dei, in commodum & ornamentum Eccleſiæ. Hinc promptum erit colligere virtutes ad iuſtitiam pertinere, & ad eam vnam referendas eſſe omnes, quocunq; nomine nominari poſſunt. Quapropter in illarum definitionibus rectè iuſtitia vt genus proximū poni poterit, differentia ſumta à proprietate cuiuslibet virtutis, hoc modo. Pietas eſt iuſtitia Deo debitum cultum tribuēs. Charitas, eſt iuſtitia, quę Deo & hominibus debitum amorem tribuit. Miſericordia eſt iuſtitia, qua impertimur egenis conſolationem, conſilium, victum, amictum, illorum miſeria tacti. Caſtitas eſt iuſtitia mentem purā & corpus incontaminatū conſeruans. Cōtinentia ἐγκράτεια, eſt iuſtitia continens affectus omnes ſub imperio rectæ rationis. Patientia eſt iuſtitia obediēs Deo in cruce. Modeſtia σωφροσύνη eſt iuſtitia, quæ partibus animę rationalis cōcupiſcibili & iraſcibili tribuit conueniētia officia, videlicet, vt ratio imperet, concupiſcibilis

imperata velit & faciat, & irascibilis militet pro ratione, tueatur quæ ratio iubet, & opponat se contrariis. Ideo Græcis θυμὸς dicitur δορυφόρος τοῦ νοῦ. Hæc ergo σωφροσύνη pulcherrima virtus est & dulcissima ἁρμονία partium animæ, qua harmonia anima sana & salua cōseruatur. Vnde & nomen apud Græcos obtinuit. Maximus Theologus de vsu harum trium facultatum animæ in hanc sententiam scribit. Λογιστικὴ data est homini principaliter, vt inquirat quod optimum est, nempe Deum ipsum. Ἐπιθυμητικὴ, vt Deum inuentū amet, ac in eo acquiescat. Θυμικὴ, vt aduersetur hostib. Dei, & militet pro Deo & rebus Deo gratis. Nec dubium est has tres animæ facultates in hunc potissimū vsum inditas fuisse homini in ipsa creatione, & post lapsum aliquo modo conseruatas, quæ mala consuetudine paulatim magis magisq; obscuratę sunt. Hinc sunt nata illa dicta: Πάντα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται. Natura appetit conseruationem sui, & auersatur destruentia naturam.

Hæc sint in hunc modum de habitu piè sanctèq;, id est, iustè viuendi dicta, qui habitus longo tempore, & crebris actionibus acquisitus est. Cæterū qui hunc habitum nactus videtur, stet constanter, & videat ne cadat. Facilis enim lapsus est. Diabolus siquidem in hoc totus est, vt hominem in pietate constanter perseuerantem suis artibus euertat. Nam in angelum lucis se transformat, & homini astutè suggerit cogitationem & opinionem iustitię & sanctitatis, vt sibi placeat cum Pharisæo Euangelico. Quod quādo fit, miserè ab hoste vincitur, & ei denuò mācipatur. id quod vsu venit multis mandritis & monachis, qui videbantur sibi sanctissimi, cū meri essent hypocritæ. Statim enim vbi homo sibi placuerit, displicet Deo. Melior est igitur, vt Augustinus ait, in malis factis humilis cōfessio, quàm in bonis superba gloriatio. Quocirca cauendæ sunt in primis Satanæ insidię, & infirmitas nostra cogitāda, vt semper humiliemur sub potēti manu

Dei,

Dei,&operemur ſalutem noſtram cum timore &tremore,vt Paulus ſuadet Phil.2.12.Operari autem ſalutem eſt ſtrenuè pergere & progredi in ſalutis ſtadio, vt illud feliciter conficiamus, idq; cum timore & tremore, id eſt, cum vera animi humilitate ſinceraq; religione. Eſt autem hic timor & tremor, non quo dubitatio alitur, ſed quo ſuperſtitio, ſecuritas carnalis, ignauia,hypocriſis & ſuperbia excutiuntur. Meminerimus dictum Solomonis Prouerb.28.14. Beatus eſt homo,qui ſemper eſt pauidus, id eſt, qui ſemper ſolicitè cauet inſidias diaboli,carnis & mũdi; qui ſemper in timore Dei viuit, ne quid tentet contra ipſius voluntatem: qui ſemper in vera pœnitentia perſeuerat, cauetq; omnem Dei offenſam,expectãs felicem liberationem ex his ærumnis, & vitam beatã in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui cũ patre & ſpiritu ſaucto ſit honor,gloria,imperiũ in omnẽ æternitatem,Amen.

De contemplatione.

Non ignoro quoſdam Theologos huic habitui bene iuſteq; viuẽdi adiungere,quam vocant, cõtemplationem, de qua quid piè ſentiendũ ſit breuiter accipe. Contemplatio ſeu theoria Chriſtiana non eſt aliud quam cognitæ veritatis & perſpectæ, ſpiritualis quædam mentis viſio, cum ſumma admiratione, voluptate ſpiritus, lætitia cordis & laudibus Dei cõiuncta. Vt enim oculo corporis videmus res corporales; ita mente,quæ eſt animæ oculus,res ſpirituales & cæleſtes contemplamur. Viſio ergo contemplatio mẽtis eſt. Hæc ſi ſobria fuerit, hominem in cælo verſari facit,ſicut Paulus inquit Phil.3.20. Πολίτευμα noſtrum eſt in cælo. At ſi modum exceſſerit,in ima præcipitat, iuxta dictũ, θεωρία ἀχάλινος ταχὺ ἂν καὶ κατὰ κρημνοῦ ὤσειεν, hoc eſt, contemplatio effrenis facilè aliquem in præcipitium pelleret. Sunt qui putant,idq; non abſurdè, templum ex eo dictum, quod ſit locus huic contem-

plationi destinatus. Huius Christianæ contemplationis tria membra constituamus, quorum primum ad Deum; secundum ad hominem; tertium ad comparationem rerum visibilium & inuisibiliũ pertinebit.

Primi membri ad Deum pertinentis partes præcipuè sunt quatuor, quas breuissimè signabo. Harum prima est admiratio maiestatis diuinę, videlicet, quod Deus æternus sit vnus in essentia: trinus in personis; quod sit pater generans, filius genitus, Spiritus sanctus procedens à patre & filio, idq; ante omnia tempora ab omni æternitate. Neque enim pater gignere incepit, nec filius nasci incepit, nec Spiritus sanctus procedere incepit. Sed pater generãs ab æterno erat, filius genitus ab æterno erat, & Spiritus procedẽs ab æterno erat. Tres personæ, vnus Deus, pater est solus Deus, filius est solus Deus, Spiritus sanctus est solus Deus. Quia in patre est tota essentialis perfectio Deitatis, in filio est tota essentialis perfectio Deitatis, in Spiritu sancto est tota essentialis perfectio Deitatis, non multiplicata iuxta numerum personarum, sed vnica sola, & simplicissimè vna, id est, numero vna; alioqui essent tres Dii, sicut sunt tres personæ. In hac contemplatione meminerimus nos nihil agere, nisi cõtineamus nos intra limites verbi Dei. Nã qui scrutatur maiestatem extra verbum, opprimitur à gloria. Prouerb. 25. 27.

Secunda, cõsideratio operum Dei, videlicet, creationis, reparationis, gubernationis. In creatione admiranda venit sapiẽtia, potẽtia, bonitas. In reparatione, sapientia, potentia, iustitia, misericordia. In gubernatione, veritas, sapientia, iustitia, misericordia, potẽtia.

Tertia est admiratio iudiciorum Dei, quorum alia reuelata sunt, alia occulta. Reuelata cognosce & noli ab eis deflectere vlla ratione impulsus: occulta, quia sunt abyssus multa, adora.

Quarta est reuocatio in memoriam promissæ beatitudinis,

titudinis,& futurę vitæ,& contra pœnarũ non finiendarum,eorum qui Chriſtum non recipiunt.

Harum partium prima inuitabit nos ad reuerentiam & timorem Dei. Secunda ad amorem. Tertia ad humilitatem. Quarta ad fidem, ſpem, patientiam. omnes ſimul ad gratitudinem & gratiarum actionem per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Secundum membrum cõtemplationis eſt de ipſo homine, quod commendat nobis ἀπόφθεγμα illud celeberrimum, γνῶθι σεαυτὸν, de quo Menander. τὸ γνῶθι σεαυτὸν πανταχοῦ 'στὶ χρήσιμον. Hoc membrum pro ſtatuũ hominis diuerſitate, diſtribuam in quatuor partes, quarum prima eſt ſtatus primi hominis, qui innocentiæ dicitnr. De hoc ſtatu quæritur, à quo es? à Deo creatus. vbi? in terreſtri paradiſo. vnde? de limo terrę & ſpiraculo Dei. qualis? ἀρχικὸς, λογικὸς, αὐτεξούσιος. quomodo? ad imaginem Dei, iuſtus, ſanctus, verax, Deo iunctus. ad quid? ad immortalitatem. propter quid? vt Deum colam: cuius rei forma hominis nos admonet. eò enim dirigenda mens eſt, quò vultus erectus eſt. Secunda, eſt ſtatus ſecundi hominis, qui meritò miſeriæ dicitur. Adam lapſus genuit tales, qualis ipſe factus eſt per lapſum, hoc eſt, miſeros, impuros, iniuſtos, damnatos. Omnis qui naſcitur (ait Auguſtinus) naſcitur Adam, hoc eſt, damnatus à damnato. Tertia, eſt tertii ſtatus hominis, in quo erigitur homo lapſus manu Dei, hoc eſt, per Chriſtum, qui fide apprehenſus hominẽ reformat, iuſtificat, ſanctificat, & hic ſtatus meritò gratiæ dicitur. De hoc ſtatu Euangelium concionatur. Quarta, eſt ſtatus quarti hominis, eſt beatitudinis perfectæ, in quo ſimiles erimus Chriſto in omnem æternitatem. Harum partium prima multa nobis contemplanda commendat, ſed potiſſimum nobilitatem & dignitatem hominis creati ad imaginem Dei, vt Deum coleret & celebraret. Secũda, miſeriam hominis in quam ſuapte ſponte incidit, deplo-

randam monet. Tertia, immenſam miſericordiam Dei, & ineffabilem amorem filii Dei meditandum cũ fide & gratiarum actione commendat. Quarta, ingẽtem lætitiam & conſolationem ex ſpe promiſſæ ſalutis in piorum animis cum gratiarum actione & piè viuendi ſtudio, excitat.

Tertium membrum eſt comparationis rerum viſibilium & inuiſibilium. Quam autem dulcis ſit contemplatio collationis rerum viſibilium, ad res inuiſibiles, cæleſtes & ſpirituales, nemo ſatis dixerit. Ita enim Deus σοφὸς ille δημιουργὸς condidit res aſpectabiles, vt hominem in medio θεωρητὴν poſitum, quaſi manu in rerum inuiſibilium, cæleſtium & ſpiritualium cognitionem ducat. In qua profectò re, ſapientia, bonitas, potentia, & maieſtas conditoris ſumma cum admiratione cernitur. Et hoc quidem in eum finem, vt ipſe agnoſcatur, glorificetur, & colatur ab homine quem ad felicitatem condidit. Hanc contemplationem Dominus noſter nobis commendat variis parabolis in Euangelica hiſtoria, ſignificans haud obſcurè nihil eſſe viſibile à Deo creatum, quod non habeat aliquam comparationem ad inuiſibilia, nempe vel ad animos hominum formandos, vel ad res cæleſtes & ſpirituales contemplandas, adeo vt quicquid αἰσθητὸν à Deo eſt cõditum, ſit quaſi ſymbolum alicuius rei ſenſibus non expoſitæ. Exempli cauſa. Ignis, quem videmus eſt veluti ſymbolũ ſpiritus ſancti. Vt enim ignis ardet, illuminat, purgat: ita Spiritus ſanctus inflammat corda, mentes vera luce illuſtrat, & expurgat vitia. Hic ſol aſpectabilis nonne eſt veluti ſacramẽtum & ſymbolum non ſolum aſſumptæ humanæ naturæ, in vnitatem hypoſtaticam, à filio Dei, verumetiã præſentiæ Chriſti & efficacitatis ipſius in Eccleſia? Eſt proinde ipſa natura rerum nobis tanquam pædagogus potiſſimum ad intelligenda ſcripturæ myſteria. Quid dicam de figuris Veteris Teſtamenti, quibus res

Noui

Noui Testamenti adumbrantur? Quo pertinet prohibitio esus certorum animalium? nonne ad fugiendas illorum quasdam proprietates, illis quidem bonas in suo ordine, nobis verò noxias in nostræ dignitatis gradu? quid referam de imaginibus noui fœderis, quibus res cælestes, spirituales, & æternæ significantur, offeruntur, percipiuntur? In scriptis Mosis, Prophetarũ, Apostolorum & Patrum plurima referuntur. Et dulcissima quædam huius generis in Beati Philippi Melanthonis monumentis sparguntur, lectione & admiratione dignissima. Sed de his satis.

Admonitio Nazianzeni de contemplatione & praxi.

Πρᾶξιν προτιμήσειας, ἢ θεωρίαν;
Ὄψις τελείων ἔργον, ἡ δὲ πλειόνων.
Ἀμφω μὲν εἰσὶ δεξίαι τε καὶ φίλαι.
Σὺ δὲ πρὸς ἣν πέφυκας, ἐκτείνου πλέον.

Quæstio de conscientia.

Paulus 1. Tim. 1. 19. iubet nos retinere fidem & bonam conscientiam. Iohannes dicit 1. Ioh. 1. 8. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos seducim⁹, & veritas in nobis nõ est. Possuntne ergo in eodẽ homine esse bona conscientia, & mala conscientia, cum manifestum sit ex commisso peccato malam cõscientiam nasci? Solutionem huius antilogię petamus ex sequentibus scripturæ dictis, Heb. 9. 14. Sanguis Christi purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuenti. Hebr. 10. 22. Accedemus cũ vero corde in certitudine fidei aspersi corda à conscientia mala. 1. Iohan. 3. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum nõ facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam à Deo natus est. Iam obiectionem includamus in syllogismum, vt rectius de ea iudicare liceat.

Omnes homines peccati ſibi conſcii, habent malam conſcientiam.

Omnes ſancti ſunt ſibi peccati conſcii.

Igitur omnes ſancti habent malam conſcientiam.

Reſpondeo; Maior non eſt completè vniuerſalis: Argumentum enim procedit à non diſtributo ad diſtributum. Nam maior in hunc modum eſt vera tantum. Omnes homines, peccati ſcilicet non remiſſi ſibi conſcii, habent malam conſcientiam. Sed contra, omnes homines peccati remiſſi ſibi conſcii, non habent malam conſcientiam. Iam ad minorem. Omnes ſancti ſunt ſibi conſcii peccati, commiſſi quidem, ſed condonati & purgati ſanguine Chriſti. Nō ergo ſancti habent malam conſcientiam. Conſcientia ſiquidē mala dicitur, non ex iudicio naturali, quod eſt lex Dei bona, ſcripta in cordibus hominum, non ex peccato commiſſo, ſed ex metu pœnæ propter peccatum cōmiſſum. Iam autem qui ſtatuit peccatum remiſſum, non metuit pœnam, quare nec conſcientiam malam habet. Neque infirmitates ſanctorum & ignorantiæ lapſus inuoluntarii vaſtāt conſcientiam, ſaluo fundamento, quia ſancti ſciunt ſe habere patrem clementem, qui etſi caſtigat illorum lapſus in hac vita, tamen bonam conſcientiam retinent, nam ſciunt peccata ſibi non imputari. Atque hoc eſt, quod vult Iohannes cum ait: Omnis qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum, vt Diabolus & Cain, hoc eſt, ſtudio & contumacia.

Auguſtinus.

Vt conſcientia mala tota eſt in deſperatione; ſic bona conſcientia tota eſt in ſpe.

FINIS.

